



**D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gwaltheri Tigurini in
Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliae
CLXXX.**

Gwalther, Rudolf

[S.l.], 1568

VD16 W 1038

3. Diua renascentis natura semina pandit, Et quæri potest qua ratione
salus. Corripit hinc Baptista suos, Ecclesia Christi Sponsa est, quem solum
debet & illa sequi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71827)

CAPVT III.

HOMILIA XVII.

ERat autem quidam ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudeorum. Hic uenit ad Iesum nocte & dixit ei: Rabbi, scimus te à Deo uenisse magistrum: Nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo. Respondit Iesus & dixit ei: Amen amè dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest uidere regnum Dei.

DIVS Ioannes diligenter narrat quæ Dominus noster Iesus Christus circa suæ predicationis initia fecit, cum se primum manifestare & Messie functionem obire cepisset. Diligentia autem huius cause sunt: primò quòd hæc à prioribus euangelistis omiſsa fuerant, certo nimirum spiritus sancti consilio. Deinde, ut nos ex ijs iudicare doceat de uera religione & quomodo eius initia constituenda sint, quæ ferè difficillima & ardua esse consueuerunt. Nos autem in illorum consyderatione ita uersari conuenit, ut cum Christi dictis & factis eos quoq; inspiciamus, quibus cum ille egit. At qui quoad illum, à templi & externi cultus repurgatione ipsum cepisse audiimus, & huic facto doctrinam coniunxit, quam signis multis & euidentibus confirmauit. Huius ergo exemplum sequantur, qui hodie religionem recte constituere uolunt, & ubi e medio sustulerunt prophanos atq; supersticiosos cultus, ueritatis doctrinam diuina auctoritate confirmatam sedulo proponant, ut per hanc in fide & religione uera instituantur, qui prius erroribus & superstitionibus decepti fuerunt. Quoad uerò Iudeos, inter quos hoc fecit Christus, uaria & multum inter se diuersa fuerunt illorum iudicia. Alij enim ob quæstum euersum indignantur, & quæstiones insidiosas neſunt, quibus illum circumueniant. Alij docentem audiunt, & miraculis uisus credunt ipsum esse Messiam: sed non sincera est illorum fides, cum carnalia modò atq; terrena querant, & ideo illos Christus cauet prudenter, ne sua leuitate causam hanc omnem in periculum adducant: non autem propter illos stationem suam deserit, sed in officio constantè pergit, ut plures lucrifaciat. Et talia ferè sunt reformationum in ecclesijs principia, ut alij quidem hostiliter fremant & sanguinaria consilia sperent, alij uerò sua querant sub uera religionis prætextu, paucissimi autem Christi partes animo sincero sequantur. At non ideo animum despondere debent ij, quibus istam prouinciam Deus commisit, sed eò maiori alacritate pergere. Ita enim fiet, ut studij sui fructum eximium uideant, ubi minime sperassent. Exemplum eius rei huius Cap. tertij historia proponit, quæ inter Phariseos reperiuntur fuisse docet, qui Christi doctrinam atq; miracula nõ oscitantè neq; sine fructu obseruauerat, & postea plures Christo accessisse dicuntur, adeò ut credentium multitudo Ioannis discipulis præpositi uel aduersus Christum occasionem præberet. Est autem memorabilis actio, quam Christus priuatim cum Nicodemo instituit. Ex ea enim apparet quanto studio publicè simul & priuatim hominũ salutem curauerit. Deinde eadem plenè & perfectè tradidit omnia, quæ in salutis nostræ causa nos instituere possunt. Docet enim quanta sit humana natura corrupta, unde fieri oporteat salutis nostræ initium, quis eius Mediator sit, & qua ratione in eius consortium homines perueniant, quæ item sint uerè Christianorum officia. Et de his quidem omnibus suo loco dicitur, nunc ad præsentis loci tractationem accedemus.

Nicodemi descriptio.

Orditur à Nicodemi descriptione euangelista. Erat (inquit) quidam ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudeorum. Professione (inquam) pharisæus fuit, quorũ sectam in religione exquisitissimam fuisse Paulus testatur. Quoad uerò conditione, princeps uel primarius inter Iudeos Senator fuit. Nam etsi penes Romanos esset Iudæa totius gubernatio, quorũ Præsides illic cum imperio erant, reliquerant tamen illi Iudæis Senatam, qui causas cognosceret, & leuiores quidem secundum ipsorum leges diiudicaret, grauiores autem ad Præsides referret. Et penes illum Senatũ summam eorum potestatem fuisse, quæ ad religionem spectabant, ex alijs locis apparet. In eo igitur Nicodemus locum honoratiorem obtinuit, & ideo princeps Iudeorum dicitur. Accedit his eruditionis existimatio,

existimatio, quam apud populum sustinuit non vulgarem, ut in Christi verbis est videre, qui illi postea dicit: Tu ne es magister ille Israelis? &c. Talem ergo tantæ dignitatis discipulū habet Christus, qui hucusque in Galilæa obscurus latuerat, & quem sacerdotes serè omnes iam cœperant odisse. Admonemur exemplo isto, Deum in omni hominum genere electos suos habere, quos cum ipsi visum fuerit vocat, & ad ecclesie suæ societatem adducit, & frequenter fieri, ut illi priusquam vocentur, per sectas & superstitiones oberrent, aut etiam inter scelera grauiora volutentur. Quod enim hic de Nicodemo dicitur, hoc ipsum in Paulo accidit, qui & Phariseus & ecclesie Christi persecutor fuit, priusquam eius discipulus fieret. Et nostro seculo multos ex Monachorum claustris & sacrificulorum grege prodisse vidimus, qui in ecclesia reformanda præclarâ operam Christo dederunt. De gentibus verò quid opus est dicere, quas ex ipsa potestate tenebrarum in lucem filiorum Dei translatas fuisse scimus? Et ex philosophorum scholis innumeri ad Christum transierunt, & huius discipuli facti, ad ecclesie ædificationem contulerunt artes, eloquentiam, ingenij acumen, quibus aliquando illam oppugnaverant. Nemo igitur temerè de cuiusquam salute desperet, sed discant potius singuli suo studio & precibus eos iuuare, quos à salutis via exorbitare vident. Confutentur etiam Nicodemi exemplo Anabaptistæ, qui in magistratu aut rebus publicis agentes ab ecclesie & Christi societate excludunt; nimirum ut electis legitimis magistratibus ipsi pro sua libidine omnia instituant.

Videamus autem quid Nicodemus hic fecerit. Venit ad Iesum nocte. Potest hoc studij & desiderij magni argumentum censerī, quod illum mouit, ut somno & quieti destinatum tempus Christo dare vellet. At idem hoc præposterum pudorem & metum arguit, quo deterritus fuit, ne inter diu & palam illum conueniret. Quia enim magna erat eius autoritas, puderit illum alterius discipulum fieri, & ita eruditionis existimationem labefactare, quam de illo omnes conceperant. Deinde honori suo timet & fortunis, ne Christum publicè sequendo collegas contra se prouocet, quos Christo infensissimos esse sciebat. Fuit hæc magna infirmitas fidei, vincit tamen metum hunc aliqua ex parte semen illud verbi, quod iam animo conceperat, & serua signorum Christi consideratio, ut saltē in occulto Christi colloquium expetere. Obseruemus hoc loco, quàm misera & deplorata fuerit Iudæicæ populi conditio tunc temporis, quando ad Mesiam tot iam seculis expectatum, & cuius aduentum omnes in votis habebant, nemini licuit tuto accedere, & honorum atq; fortunarum discrimen subire cogantur, qui cum illo familiariter colloqui volunt. Atqui in publico licebat falsis doctrinis miseros seducere, in templo licebat negotiari, licebat scortari, vsuras accipere, belluari, & omnia pro carnis libidine facere. At Dei filium sequi, illum audire & obseruare non licet. Vnde verò hoc? Quia verum poterantur falsi antistites qui religionē questum fecerant, & suas dignitates gloriæ Dei longè præferabant. Eadem postea inter gentes fuit Christi conditio, ut ad cætus sacros noctu eos conuenire oporteret, qui euangelium audire vellent & sacramentis vti, cum interim in publico peccarent impunè adulteri, scortatores, ebriosi, vsurarii, imò etiam impij omnis religionis illusores. Et vrinâ non hodie quoq; idem multis in locis fieret. Damnant multi nocturnos piorum cætus, & amarulentis diuisi infectantur. Sed cur non publicam illam iniustitiam accusant, qua impunè grassantibus sceleribus, solis Christianis sua libertas eripitur?

Obseruabis præterea quantum impedimentū afferant opes ac honores huius seculi ijs, qui pietatis iter ingredi cœperunt. Solent in alijs negotijs diuitiæ & dignitates hominibus animum addere, ut maiori alacritate audeant quod volunt. At in religionis negotio timidos reddunt & meticulosos dissimulatores. Causa huius mali est, quod Veritatem omnibus publicè exosam esse vident, & infames fieri eos, qui huius causam suscipiunt. Ea enim honorum & dignitatum huius seculi dulcedo est, ut quiduis potius facere aut ferre velint qui illis assueuerunt, quàm publica aliqua ignominia nocari. Hinc fit, ut tales vel ad Christum non veniant, aut noctu & in tenebris veniant. Dum enim fidem simul (ut Cyrillus ait) & gloriam hominum retinere volunt, tenebris se committunt, id est, obscurius & dissimulanter dicunt atque faciunt omnia. Simile exemplum infra quoque habebimus, ubi sic scribit Ioannes: Etiam ex principibus multi in eum crediderunt, sed propter Phariseos non confitebantur, ne synagoga mouerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum potius quàm gloriam Dei. Excitent ista in dignitate constitutos, ne ambitione se decipi patiantur:

Nicodemus nocte uenit ad Christum.

Opes et honores fidei impedimentum.

cogitent autem huius seculi honores, qui per se incerti atque instabiles sunt, non posse maiori cum favore amitti, quam si Christi causam tueantur, qui quam in hoc mundo sustinent infamiam aeterna regni caelestis gloria compensabit, & interdum hec quoque illustres facit eos, qui eius gloriam proprie anteponunt. Sic olim Valentinianum ad Imperatoria dignitatis fastidium usque euexit, quem paulo ante Iulianus propter fidei verae confessionem publica infamia notatum in exilium relegauerat. Praeterea scandalo medetur consideratio ista, quod ex eo obijci solet: quod pauci dignitate & potentia illustres Christum amplectantur. Eius enim rei causa est, non quod plus alijs illi sapiant in religionis causa, sed quod magis sibi & privatis suis commodis metuum, & huius seculi gloriae, Dei verbo atque aeternae animarum salutis praeferre consueverunt.

Nicodemus
Christum
sacrosanctum
doctorem
agnoscit.

Sed audiamus, quibus verbis Christum Nicodemus alloquatur: Rabbi (inquit) scimus te a Deo venisse magistrum. Nemo enim potest haec signa edere, quae tu edis, nisi Deus sit cum eo. Agnoscit a Deo missum esse, & quidem eam ob causam, ut omnibus vitae atque salutis aeternae doctor sit. Et dum hoc illi tribuit, non obscure petit, ut veram salutis rationem ipsi commonestrat. Quod argumento abunde testatur, quod nec legis scientia nec Pharisaismi observatio ipsum haecenus salutis certum facere potuerint. Et hoc ipso iudicio omnes superstitiones sese produnt, quod hominum animos perpetuo dubios & suspensos detinent, & quod novas salutis rationes subinde inquirunt, qui paulo ante sibi ipsi omnia laeta et iuta pollicebantur. Exempla huius generis multa exhibet Papaeus in ijs, qui cum in scholastica theologia exercitissimi sint, subinde tamen superstitionis formam mutant, & modo huic, modo illi Monachorum familiae seipsum consecrant, aut nouis quotidie sacris animarum salutem vanantur. Habent autem singula Nicodemi verba emphasim, & prouide digna sunt, quae penitus examinentur. Primo Rabbinum vocat honorifico plane uulgo, ut alibi monuimus, neque ueretur hunc sibi magistrum deligere, qui ipse iam diu praecipuus populi Israelitici doctor habitus fuerat. Deinde scimus (inquit) te a Deo venisse magistrum. Diuinam ergo missionem in eo agnoscit, quae sola ad fidem ipsi concilianda sufficiebat. Nec de seipso tantummodo, uerum etiam de collegis hoc dicit. Nam scimus, inquit, nimirum quod in saeculis non occultis deprehendisset indicia, illos de Christo aliquid magnificentius atque sublimius sentire. Vident enim impij quoque uelint nolint quod uerum est, & ut Augustinus dicebat, Aperta ueritas etiam clausos oculos ferit. Et licet nondum agnoscat in illo Deitatem, magnum tamen fidei principium est, quod magistrum & doctorem agnoscit. Unde autem ista cognitio ipsi obuenerit? Ex signis nimirum, in quibus uirtus diuina elucebat, cum humanas uires longè excederet. Ergo non malignis oculis miracula Christi aspexit, sed simul illorum finem atque scopum obseruauit. Et est hic uerus signorum omnium usus, quod ad audiendam Christi doctrinam excitant, & eandem quasi obsequant atque confirmant.

Nemo doctor
habendus sine
legitimo missio-
nis testimonio.

At nobis probe obseruandum est Nicodemi exemplum, qui idem Christum sibi doctorem & magistrum delegit, quod a Deo missum esse sciret. Ita enim docet, neminem a nobis audiri debere, nisi qui certa habeat diuinae missionis testimonia. At quae nam illa sunt, inquis? Primum, legitima & ordinaria ecclesiae uocatio, quae iuxta Canones a Paulo praescriptos solet ministros eligere. Neque enim nunc de interna & extraordinaria uocatione loquimur, quae in solius Dei potestate est, & quam ille, si ita opus est, signis quoque extraordinarijs confirmat. Alterum est ipsa doctrina: si nimirum haec ex scripturis desumpta sit, & ad eum finem dirigatur, quem ipse Christus discipulis constituit: ut scilicet homines per ipsum Deo reconciliati, sese huic per fidei obedientiam submittant. Qui ista habent, ijs illud Christi conuenit: Qui uos audit, me audit, &c. At qui hinc contempserit, hominum figmentis a proferunt, illos audire nefas est, etiamsi angeli e caelo fuerint. Sed nostri seculi infelicitatem. Inter Iudaeos olim, cum omnia essent corruptissima, hoc tamen principium ualebat, neminem nisi a Deo missum audiri debere. At hodie ecclesijs obruduntur ministri, qui ut serè inepidissimi sunt, ita falsi conuinci possunt ab omnibus qui Christianae religionis principia non omnino oscitantur inasperant.

Christus Nico-
demum amicum
excipit.

Ceterum uideamus, quid Christus Nicodemo responderit. Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest uidere regnum Dei. Vbi nobis ante omnia obseruanda uenit Christi lenitas atque

tas atque mansuetudo, qua erga eum vitur, quem vel reicere, vel duriori increpatione excipere poterat. Erat enim, ut diximus, ex Pharisaeorum numero, quos hostes suos acerrimos fore non ignorabat. Veniebat nocte, & ita testabatur, se collegis suis multum adhuc tribuere, & quod ipsum Christi puderet. Adhuc ex illius verbis peti poterat ipsum increpandi occasio: si me à Deo datum magistrum agnoscis, cur non auctor es populo, ut me omnes audiant? Cur pateris, ut abs me eiecta sacerorum nundinatio in templum reducatur? Cur nocte ad me venis? Cur te mei pudet? Cur collegas, quorum ambitio & avaritia tibi satis nota est, Dei voluntati atque verbo praefers? Vel num te dignum putem, cuius nomine somno & quiete me ipsum defraudem, qui in religionis causa usque adeo es frigidus? Haec (inquam) & alia huius generis poterat illi dicere Christus. Sed omisit istis hoc potius agere, ut ipsum sibi lucrifaciat. Verè ergo de illo praedixerat Isaias: Linum fumigans non extinguet, & arundinem quassatam non couteret. Quod ut afflictas conscientias in tentationibus misericorditer consolatur: Ita docet, qua lenitate nos quoque erga eos vti debeamus, qui etsi in multis infirmiores sint, & suis quoque vitii laborent, ac tamen se dociles praebent atque proficere cupiunt. Curandum hic diligenter, ne austeritate & rigore nimio illis à pio instituto resiliendi auctores simus. Alia est ratio impiorum, qui suam improbitatem aperte produnt, & oblatam sibi veritatis doctrinam sanis atque ludibrijs rejiciunt, vel etiam aperte convitiuntur. Ut enim cum illis agi debeat, idem Christus suo exemplo docuit, quando admiranda verborum & spiritus gravitate in reliquos phariseos & scribas invehitur.

Ceterum absurdum & alienum nimis videri poterat exordium quo Christus vitur, cum nihil tale Nicodemus quaesierit. At si rem ipsam inspicimus, nihil convenientius & melius dici potuisse patebit. Nam ut diximus de salutis ratione edoceri cupiebat Nicodemus, licet hoc non disertis verbis testaretur. In quem enim alium finem magistrum à Deo datum dixisset? Fontem ergo errorum aperiri oportuit, quibus hucusque in salutis causa impeditus fuerat. Atqui legis peritum & Pharisaeum fuisse audivimus. Vendicabat ergo sibi perfectam legis notitiam, quae suis observatoribus vitam pollicebatur, iuxta illud: Omnis qui fecerit ista, vivet in eis. Rursum pharisaico errore deceptus, legem humanis viribus impleri posse putabat, & proinde salutis rationem in suorum operum iustitia atque meritis constituere. At qui tales sunt, dum suam iustitiam iactant, iustitiae Dei (ut Paulus ait) quam is in filio suo nobis offert, consortes fieri non possunt. Ut ergo illum à primis fundamentis instruat, primo hanc eius vanissimam persuasionem arguit atque refellit, deinde vero docet quibus medijs & qua ratione nos preparari oporteat, ut regnum Dei ingrediamur, id est, gratiae & salutis efficiamur capaces. Et primum quidem in praesenti paucis verbis absolvit, sic dicens: Amen amen dico tibi, nisi quis genuis fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Sensus est: Tu quidem in Lege acquiescis, & illius voluntatem novisti (libet enim Pauli verbis vti, quibus ille postea Pharisaeorum atque scribarum confidentiam egregie depinxit) & interno scis quae ab ab hac discrepant, institutus ex lege: cōfidis, te ducere esse caecorum, lucem eorum qui sunt in tenebris, eruditorem insipientium, magistrum infantium, ut qui habeas informationem cognitionis ac veritatis per Legem: putas denique te proprijs viribus caelum conscendere & tua iustitia regnum Dei promereri posse. Sed multum falleris mi Nicodeme. Tam enim hoc abest, ut nisi quis renascatur & homo novus fiat, regnum Dei ne videre quidem & illius mysteria à longe cognoscere, nedum assequi possit.

Hic (inquam) verborum Christi sensus est, in quibus diligenter observare oportet, quod non de Nicodemo solo, sed in genere de omnibus pronuntiat, quod illos regenerari & totos innovari necesse sit, si regni Dei haeredes velint fieri. Ex eo enim sequitur primum hominis naturam corruptam, & nos quoad naturam nostram à regno Dei alienos esse, neque nos illud nostris viribus posse consequi. Si enim pura & sancta esset naturae nostrae, & ex ea haberemus vires, quae ad salutem consequendam necessariae sunt, regeneratione nequaquam esset opus. At corruptam et pollutam esse non scriptura modo sed res ipsa clamitat. Principio quidem bene conditus fuit homo, & omnibus instrumentis quo ad felicitatem veram pertinent. Per peccatum verò omni dignitate excidit, & cum hac vires quoque bene agendi amisit, atque peccati servus factus est. Non ergo Dei filios generare potuit Adam, sed in corrupta sua imagine (ut scriptura loquitur) peccatores & filios irae genuit, &

Phariseorum confidentiam Christus arguit.

Rom. 2.

Regeneratio omnibus est necessaria.

hæc iam nostra natura conditio est, ut in peccato & concipiamur atque nascamur, sicuti de semetipso David facetur. Psalm. 51. Hinc ergo fit, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & regni celorum mysteria ignorat. Ex intellectu autem corrupto voluntas quoque corrupta sequatur oportet, quæ hominem ad impura carnis studia abripit. Quod si vires quæras, quibus intellectum tuum illumines, & voluntatem pravam corrigas, nullas inuenies. Fragmenta enim cordis nostri prava sunt ab ineunte ætate, & ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem sumus idonei. Omnes ergo cum Paulo dicere cogentur: Noui quod non habet in me, hoc est, in carne mea bonum. Et possent hæc multis illustrari atque confirmari, sed quid verbis opus est, ubi res ipsa loquitur? Recte ergo Christus regenerationem necessariam esse docet, & ita pharisaicos spiritus omnium eorum recundit, qui suarum virium fiducia elati, salutem suorum operum meritis acceptam ferunt. Faciunt eodem, quæ passim de nostris ipsis abnegatione, de veteris hominis & carnis mortificatione & inuolutione spiritus dicuntur. Quæ omnia cum non sint nostrarum virium, ex gratia nobis salutem obstringere necesse est, ut suo loco pluribus dicetur. Nunc ad vitæ etiam & morum institutionem hæc Christi dictum transferamus: Vbi in infinitum per omnes prauorum affectuum et peccatorum species extendi possit oratio. Sed summam rei inspicere proderit, modo eam singuli sibi ipsis & studiis suis priuatis applicent: ne in ijs sibi blandiantur, quæ contra Dei verbum designant. Si enim nos renasci oportet, ut regnum Dei ingrediamur: ab hoc certe alienissimi erunt, qui carnis studiis addicti, sceleribus atque vitijs indulgent, & frustra mores suos veteri consuetudine & mundi exemplo tales excusant, cum nos seruari impossibile sit, nisi peccato & mundo mortui, ad vitæ nouitatem resurgamus in Iesu Christo Domino & redemptore nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVIII.

Dicit illi Nicodemus: Quomodo potest homo gigni qui sit senex? num potest in uentrem matris suæ secundò introire ac gigni? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, nõ potest introire in regnũ Dei. Quod genitũ est ex carne, caro est; quod genitũ est ex spiritu, spiritus est. Ne mireris quod dixi tibi, Oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & sonum eius audis: sed nescis unde ueniat, & quò uadat. Ita est omnis qui genitus est è spiritu.

Argumentum
totius colloquij
cũ Nicodemo.

VT omnes, qui laborant & onerati sunt, ad se inuitat Iesus Christus: Ita simul pollicetur, quod neminem ad se uenientem foras eiciat. Huius autem bonitatis exemplum euidenter hoc Capite proponitur. Venit enim ad illum Nicodemus, ex insensibilissima ipsi Pharisæorum secta: & non tunc uenit, tempore cum primis importuno, id quod illum adhuc Christi puderet, & ignauo mentis a fidei uera professione abstereretur. Idemque cum scientiæ legalis & doctrinæ titulo præ alijs gloriaretur, stupenda tamen fuit eius ignorantia, quam hoc toto colloquio multis indicijs prodidit. Illum tamen nec fastidit Christus, nec ut merebatur, acerbis corripuit: sed amice exceptum docet, & ab ipsis fidei atque religionis Christianæ fundamentis fæcto initio, omnia proponit, quæ ad salutis cognitionem sunt necessaria. Primò enim, quia Phariseus erat, & suis ipsis fiducia deceptus salutem suarum virium atque operum meritis acceptam ferebat, errorem istum palam arguit, & regenerationis huius authorem indicat, & simul illius modum exponit, atque illic eius inscientiam quoque reprehendit. Tertio de seipso salutis Mediatore agit, ubi de sua morte & uniuerso humane redemptionis negotio disputat. Quibus omnibus grauem subijcit hortationem, ut oblatam in ipso salutem fide uera amplectetur, & docet quæ fidei sint præmia, & quæ pene incredulos & obstinatos maneant. Hæc totius disputationis summa est. Et de primo quidem nuper diximus. Sequitur secundum Caput de regenerationis authore & modo, de quo in præfenti, quod Dominus dederit, dicemus.

Occasionem

Occasionē vltimus procedendi Nicodemus praeiuit, qui cum nihil sublimius sciret quam quod verba sonabant, absurdissimum putat esse quod à Christo dicebatur, & ideo nouam quæstionē mouet, dicens: Quomodo potest homo gigni, qui sit senex? Num potest in ventre matris suæ secundò introire ac gigni? Ita verò dum argutus videri cupit, & Christum dogmatis absurdi vult conuincere, suam insipientiam producit, & suo exemplo confirmat quod Christus de corrupta hominum natura dixit, quæ regeneratione opus habeat. Estque hoc magnum argumentum, quanta fuerit illo tempore scribarum atque sacerdotum cecitas, cum qui inter illos princeps habebatur, in salutis causâ quæstionē moueat, quæ nihil absurdius vel ineptius excogitari potuisset. Quasi verò quid nouum & inauditum antehac Christus dixisset. Atqui ipsa Circumcisio, cum in membro genitali fieret, homines hereditariæ corruptionis & per Christum promissæ restorationis admonebat. Sacrificia verò quid aliud erant, quam spectacula mystica, quibus docebantur, maciandos esse pecunos affectus, quos vnâ cum suis effectibus Christus esset expiaturus? Et prophætæ annon fedus Domini nouum, nouum quoque ecclesiæ nomen pollicebantur, & quod Deus legem suam omnium animis inscribere vellet? Hæc certe omnia regeneratione opus esse docebant, quæ hominem totum in nouaret. Vnde ergo tam crassa ignorantia celeberrimi in ecclesiâ Iudaica doctores? Ex eo nimirum, quod neglecto verbi Dei studio circa hominum traditiones occuparentur, & iam hoc sibi persuasum habebant, hominem suis viribus & propriæ iustitiæ merito salutem consequi posse. Fieri itaque non potuit, vt eius rei mysterium intelligerent, quæ sibi opus esse nunquam cogitauerunt. Ita hodie in Papatu multos videmus in philosophia ethnicorum & theologia ecclesiastica exercitissimos doctores, qui si ex scripturis de aliquo fidei Christianæ articulo differere iubeantur, infantes vel pueros esse reperiunt. Imò Nicodemii similes sunt quotquot liberi sui arbitrii & iustitiæ propriæ fiducia insistantur. Absurdum illis videtur quicquid de Christi solius merito, de gratia Dei & fidei iustificatione dicitur, & quæstiones ijdem ineptissimas mouent. Sed dum alios rident, & absurdarum opinionum accusant, suam ignorantiam turpiter produunt. Docet præterea Nicodemii exemplum, quàm noxium sit in religionis causâ nudam literam vrgeri. Vt enim hoc nuper Iudæis imposuit, ne Christum de sua resurrectione loquentē intelligerent: Ita hic Nicodemus idem error imponit, & ipsi quæstionis absurdissima author est. Est ergo necessaria scripturarum collatio, & vt ad fidei analogiam examinentur quæcumq; obscurius sunt dicta: de quo nuper plura annotauimus.

Nicodemus
quæstione ab-
surda suâ igno-
rantia producit.

Nunc Christum audiamus, qui nec ista quæstione offendiatur, vt ineptissimum doctore reiiciat, sed illum diligentius & plenius instituit. Amen amen dico tibi (inquit) nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Primò cum assenatione graui repetit, quod dixerat. Rata enim & firma semper manet Veritatis doctrina, licet illam multi non intelligant, multi etiam ei contradicant: neque propter auditorum absurdas obiectiones siue calumnias doctrinæ genus mutandum est. Ideo sic videtur dicere Christus: Absurdum putas Nicodemus, hominem renasci oportere, & nescio quam renascentiæ huius rationem crassissimam imaginari. Sed non à tuo aut alterius hominis iudicio penderet istud mysterium, sed à Dei voluntate, quæ fiat oportet, etiam si nemo mortalium eius rationes possit percipere. Quod ipsum omnibus responderi debet, qui hodie etiam absurdas quæstionibus ea in dubium vocant, quæ in Dei verbo perspicue traduntur. Mox tamen vt errori eius medeatur, & nihil carnale hic somniandum esse doceat, auctorem & modum huius regenerationis exponit, & hanc non ex vtero matris, sed ex aqua & spiritu fieri docet. Quem lo cum interpretes variè exponunt. Veterum plerique per aquam baptismum intelligunt, & per hunc nobis spiritum dari aiunt, qui nos in Dei filios regeneret. Et quamuis ijdem non indiligenter mouerint, effectum baptismi, non aquæ, sed spiritui sancto ascribi debere, hinc tamen erroris occasione arripuerunt posteri, qui salutem baptismum ita alligauerunt, vt qui sine hoc decedunt infantes à regno Dei excluderent. Qui error mox alium peperit, vt obstetricibus quoque baptismi administratio committeretur, secus quam Paulus monuit, qui mulierem in ecclesiâ loqui vetat. Potest tamen tolerabilis censeri veterum expositio, si remotis superstitionibus baptismum consideremus, quatenus per hunc in ecclesiæ consortium externè cooperamur, & idem in nobis regenerationis in Christo beneficiū obsequat, quo nomine alibi lauacrum regenerationis dicitur. Quia verò Christus in presenti de regenerationis auctore & modo certo loquitur, qui nunquam fallit, constat autem baptismum non semper

Author & ma-
dus regeneras-
tionis.

coniunctum esse spiritus sancti effectum (ut nec olim Circumcisioni effectus internus semper aderat) rarius mihi videtur, si locum hunc non præcise, ut illi de baptismo exponamus. Et ut ita sentiam, ipse Christi verbis moueor, qui paulo post huius dicti rationem reddens, solius spiritus meminit, unde colligo, per aquam aliquid intelligi debere, quod à spiritus operatione nunquam euelli potest. Quidam hæc simpliciter per similitudinem dicta esse sentiunt, ac si dixisset: Quemadmodum aqua & aer in mutanda corporum constitutione magnam vim habent, & sæpe aeris mutatione ipsius opus est, qui à morbis inueteratis liberari volunt; Ita spiritus & mentis correctio illis est necessaria, qui innatam corruptionem excutere & regnū Dei ingredi cupiunt. Estque sensus hic pius, neque quicquam à vero alienum habet, sed num Christi mentem hoc loco exprimat, videre non possum. Dicam igitur ego quoque aliorum pace quod sentio, integro semper ecclesie iudicio, adeoque omnium qui ex scripturis meliora tradiderint.

In confesso est omnibus per spiritum regenerationis verum & vnicum autorem denotari, idque sequentia Christi verba abunde testantur. Hinc ergo cum aquam coniungat, ego per hanc instrumentum intelligo, quo spiritus sanctus in regenerandis hominibus veritur. Illud vero baptismus dici non potest simpliciter, cum multi priusquam baptizentur iam regenerati sint, & olim adulti ex Iudæis & gentibus ille tunc demum daretur, qui iam Christum fide apprehenderant, & se renatos esse non obscuris signis demonstrabant, sicuti in Æthyopiis eunuchi & Cornelij Centurionis multorumque aliorum exemplis est videre. Quod si quæras, quod nam illud proprium et ordinariū sit organum, quo spiritus sanctus homines regenerat, non aliud meo iudicio proferri aut monstrari poterit, quam Verbum Dei, quo gratia in Christo nobis exhibita predicatur, quod & reconciliationis & gratia verbum vocat Apostolus. Hoc igitur per aquam Christus mihi intelligere videtur, & ut ita sentiam, Petri autoritate adducor, qui de regenerationis mysterio loquens, ait: Renati non ex fenite mortali, sed ex immortali, per verbum Dei viuunt & manent in seculum. Quibus verbis euidenter docet, verbo suo viui Deum, quando nos regenerat, & hoc verè dici, res ipsa testatur, quando constat ab ipso verbo neminem vocari ad ecclesie societatem, in qua renati Dei filij & heredes efficiuntur. Quin iam in totum orbem emissos esse scimus Apostolos, ut verbum illud vbiq; predicarent. Et de verbi predicatione Paulus loquebatur, quando Corinthiorum patrem se vocabat, & se illos in Christo parturire dicebat. Et verbum suum alibi etiam aqua cõfert Christus, nimirum propter effectum, quo animos purgat & cupiditatum sordes eluit, qua ratione etiam per ignem adumbratur. Huc enim referri debet ablutionis pedum historia, qua docet quotidie eluendas esse sordes, quas ex mundi & carnis consuetudine contrahimus: id quod verbi studio perficitur: quod ut ad penitentiam nos excitat, sic verum eius modum prescribit. Et idem in vltima Cæna discipulis dicebat: Iam vos mundi estis propter verbum meum, quod locutus sum vobis. Quod etiam Paulus respexit, quando de Ecclesia loquens, eam à Christo lauacro aquæ per verbum purgari dicit. Verbi enim ideo meminit, ne quis aqua baptismi purgationem illam tribuat, sed hunc eius purgationis sigillum agnoscamus, cuius ille nobis auctor est, & quam per verbum suum nobis offert. De hoc igitur Christus loquitur, & ad huius studium remittit eos, qui renasci cupiunt. Et huc pertinet, quod Verbum alibi semen dicitur, & eius predicatione sementi confertur. Vi enim in generatione semen aliquod sit oportet, ex quo illa fiat. Ita in regeneratione nostri semine opus est, quod Dei verbum esse, modo ostendimus. Deinde ut semen terra mandatur, & nisi hoc fiat, nihil potest gignere; Ita Dei verbum in animos nostros demitti oportet, quod predicatione aut priuata lectione aut etiam colloquio piorum fieri consuevit. Rursum ut terram ad excipiendum semen idoneam esse conuenit, ut idem retineat, foueat atque conferuet; Ita animos preparari necesse est, ut ad Dei verbum dociles & studio discendi flagrantés accedant, auditum vel lectum apprehendant, apprehensum in ira se conferuent, & diligenti meditatione foueant, ne vel ab infelici cupiditatum & malarum cogitationum auitio deuoretur, vel à spiritibus & sensibus curarum huius seculi suffocatum pereat, quantum in nobis est. Ut verò semen sui simile gignat: Ita Dei verbum animis nostris verè apprehensum occultat & à Deo insita virtute occulta atque diuina spiritus operatione viuificatur, & mox in illis primo vim suam exerit, eos immutat, & sui similes facit, pueros nimirum, sanctos & Deo consecratos: & quia animus omnium adituum fons est, illas quoque dirigit, ut qui prius nihil præter terrena atque carnalia sapiebat, cogitabat, loquebatur,

loquebatur, faciebat, nunc celestia, spiritalia atq; diuina sapiat, cogitet, loquatur atq; faciat. Hinc ergo nouus ille homo prodit, hac illa est regeneratio, que non corpus mutat, neq; iuxta Pythagoram animam in aliud corpus transfert, sed animum hominis innouat, ex quo totius hominis mutatio dependet. Facit enim vt in nobis Christus uiuat, & fructus feramus nostra uocatione dignos. Hanc ergo in presenti requirit Christus, & simul nos (vt supra diximus) ad uerbi sui studium relegat, quo carere non possunt, quicumq; in Dei filios regenerari uolunt. Et hac illa regeneratio est: sine qua regnum Dei nemo potest consequi. Hanc uero quicumq; affectant, ij Dei uerbum audient & in eius meditatione assidua uersentur, vt illius semen fide uera concipiant. Addant huic legitimum usum Sacramentorum, que quod uerbo predicatur, sensibus quoq; nostris quasi percipiendum offerunt, & uniuersum redemptionis nostre beneficium nobis obsequant. Et sane plurimum huic facit baptismi administratio, Dum enim homine ex Christi instituto in aquam intingit, & ex eadem rursus emergere uideamus, quis non cogitet, nos in Christi mortem ea conditione baptizari, vt peccato mortui in eodem ad uitam nouitatem resurgamus? Similiter cum in Cena mystica panis & uinum nominibus corporis & sanguinis Christi proponuntur, & illa edere atq; bibere iubemur, quis no uideat, Christum nobis cibum & potum uitae factu esse, & nobis perinde ut cibum & potus corporibus nostris uniuertur, coniungi debere, vt in illum toti transmutemur? Coniungamus huic meditationibus pijs preces, vt spiritus sui uirtute Deus studium nostrum adiuuet, & mox regenerationis istius celestis effectus sentiamus. Sunt hac piorum exercitia, que qui contemunt & negligunt, ij se a regeneratione quam longissime abesse restantur, neq; dignos esse qui Christiani dici debeant, &c.

Porro rationem subiicit Christus, qua probat regenerationem per spiritum fieri oportere. Quod *Regeneratio* genium est ex carne (inquit) caro est: quod genitum est ex spiritu, spiritus est. Ex ipsa rerum natura argumentatur, cuius lex est, vt uinum quodq; sui simile generet. Potest autem argumentum sic formari: Nisi spirituales simus, regnum Dei non possumus ingredi. Caro spirituales gignere non potest, sed quicquid ex carne nascitur caro est, & carnis ingenium sapit. Ergo spiritus fiat oportet generatio ista, de qua hic agimus. Carnem uero uocat uisitato more scripturarum totum hominem, quoad corpus & animam, quia totus carnis affectu & ratione regitur. Et ita rursus ad crassam Nicodemus questionem respondet. Quasi diceret. Et si possibile esset hominem in uerum matris redire, aut etiam alia quadam ratione secundum carnem renasci, non tamen alius quam caro, id est, carnalis, & proinde peccator & mortis eterne reus nasceretur, neq; hoc ad consequendum regnum Dei aliquid momenti conferret. Spiritus operatione hic opus est, qui solus potest homines facere spirituales, qui nimirum sopitis affectibus carnis, se totos Deo regendos prebeant. Neq; enim hic de corporis aut substantie carnis mutatione agitur, sed de cordis seu mentis innouatione, ex qua totius uitae & morum mutatio dependet.

At uia hac sententia carnem simul damnat & quicquid illa in salutis negotio statuit. Nam *Caro cum suis* vt ueri diximus, peccatum per primos parentes ingressum totam hominis naturam perdidit. Reliqua *instituta damnata* quidem sunt doctores aliquot, quibus a brutis differimus, nimirum scilicet sensus quidam atq; metus, ingenij solertia, uoluntatis & animi propensio, &c. Sed tanta peccati atq; naturae corruptae uis est, ut omnibus istis ad malum abutatur homo, nisi illum Deus potenti & efficaci spiritus operatione restituat siue reformet. Ex numinis enim metu superstitiones oriuntur, & idem olim Deorum multitudinem peperit, quod poeta obseruauisse constat, dicentem: Primus in orbe Deos fecit timor, &c. Ingenij autem solertia fraudes parit, & ad nocendum artes quotidie excogitat. Voluntas uero non nisi ad uicium melinat, ut non minus uere hoc quoq; a poeta dictum sit: Nitimur in uicium semper, cum primusq; negata. Nihil ergo quam carnem caro generat, quamdiu Dei spiritu destituitur, qui uerbi luce mentes illuminat, cogitationes & consilia regit, cupiditates malas restringit, & uoluntatem quoq; ad bonum inclinat. Iugulantur itaq; hoc dicto omnes omnium sectarum superstitiones, quae cum meris hominum traditionibus nitantur, per carnem in caelos uiam commonstrant. Si enim caro est quicquid ex carne nascitur, carnales sint oportet omnes cultus, quos ratio carnis excogitat, & non alios quam carnales efficere possunt. Cuius rei insalubile argumentum est, quod plerumq; in corporali exercitatione consistunt, quam Paulus non multum uelitatis habere ait: utpote in ieiunijs & superstitioso ciborum discrimine, uigilijs, peregrinationibus, chameunijs, rasura, cilicij & cucullis

multiformibus. Quid enim ista ad regnū Dei, quod nec cibum neq. potum, & proinde neq. rasuram neq. cucullam aut cilicium esse idem Apostolus docet? Quæ ergo est monachorum & sacrificolorum insolentia, qui quod rasi & vincti sunt, spirituales dici volunt, reliquos verò omnes pro laicis atque prophanis habent? Vnde enim illa vinctio & rasura vnā cum omnibus alijs illorū ritibus originem duxere? Annon humane rationis commenta, & proinde caro sunt? Quæ verò audacia viros politicos, coniuges, patres familiās, opifices, agricolas & alios eius generis, qui in Dei vocatione ex fide vera ambulant, pro laicis & prophanis explodunt, cum soli ij spirituales sint, qui Dei verbum audiunt, & ex eius semine per spiritum renati, à Deo sibi commissam functionem fideliter obeunt? Clament illi ad raurim vsq., se spirituales esse, ad quos solos scripturarum lectio & ecclesie gubernatio pertineat: nos tamen illis hoc Christi occinemus: Quod ex carne genitum est, caro est. Et illud Pauli: Affectus siue sensus, aut potius intelligentia carnis, mors est. Rom. 8.

Simili docet nō impossibile esse regenerationis mysterium.

Quia verò Nicodemum adhuc ignorantem videbas Christus, & quod regenerationem hominis impossibile esse putaret, medetur eius stupori per similia quæ ex rerū natura, adeoq. vsu quotidiana no. peti. Ne mireris (ait) quod dixi tibi, Oporteret vos nasci denuo, & c. Debent quidem salutis mysteria cum admiratione pia considerari, sed stuporē prohibet, qui fidei obstat, dum facit vt impossibile putemus quicquid nostre rationis captum superat. Et mox docet in rerū natura reperiri exempla, quæ huic doctrinæ fidem faciunt. Videtur autem ex Hebraica voce Ruah, quæ spiritū & ventum significat, similitudinis occasionem sumpsisse, & illā pro Vento hic accipi debere totus contextus probat, idemq. vetustissimi interpretes fatentur. Dicit ergo: Spiritus, id est ventus quod vult spirat, & sonum eius audis; sed nescis vnde veniat, & c. Sensus est: Si mirum & impossibile tibi videtur, hominem per Dei spiritū innouari, vide saltem quid crassior ille spiritus, ventus nimirum aerem commouens, efficiat. Annon ille spirat pro suo arbitrio, id est, cursu libero fertur, non pro hominum voluntate? At si omnia eius ad humana rationis calculum reuocare velis, frustra defatigaberis. Nam audis quidem illius sonum, & imperum sentis; sed vnde veniat siue incipiat, & quò vsq. extendat cursum suum, nemo hominum potest cognoscere. Talis est omnis qui genitus est ex spiritu, id est talis est spiritus sancti vis & efficacia in omnibus renatis, seu potius electis, qui per illum regenerantur. Etsi enim carnis ratio modum inuestigare non possit, quo ille in hominibus operatur, sentitur tamen & videtur eius efficacia, vt vel impij admirabilem mutationē in illis agnoscere cogantur, qui prius ipsorum similes carni & mundo vivebant.

Naturalium rerum consideratio fidei confirmanda seruit.

Interim exemplo suo docet Christus, vt in fidei mysterijs, quæ carni impossibilia videntur, ad rerum naturam recurramus, & cum ibi reperiantur quæ non minus rationem nostram excedunt, non dubitemus Deum maiorem potentiam in ijs proferre, quæ ad regni sui æterni administrationem pertinent. Obseruauit hoc in resurrectionis articulo Paulus, quando de hoc dubitantes ad se mentis considerationem remittit: & hoc ipsum in omnibus Dei promissis probè est obseruandum, et inde nos in fide plurimum confirmari sentiemus.

Spiritus sanctus uentus inftar operatur.

Quoad verò huius loci tractationem, primò discimus, spiritum Dei liberè ferri & operari. Vt ergo hominū mandatis non alligatur, ita nec ullis tyrannorū edictis aut viribus impeditur, quò minus electos Dei regeneret, & regni celestis faciat hæredes. Facit hoc ad nostræ salutis certitudinem, & nos aduersus eos consolatur, qui euangelij cursum aut consilij insidiosis aut etiam viribus & armis inhibere conantur. Nec enim illi plus proficiunt, quàm si quis vento leges prescribere, aut illius flatum prohibere instituat. Deinde admonemur, spiritum hunc in electis non otiosum esse, sed ita operari, vt ipsius effectus sentiantur & conspicuam vitæ prioris mutationem asserat. Falso igitur Christiani nominis titulo gloriantur, in quibus nulla vitæ emendatio apparet, & qui carnis cupiditatibus inulgerere pergunt. Instruit nos præterea locus hic aduersus maligna mundi de nobis iudicia, qui nos vanis opinionibus ferri, aut prauis affectibus exagitari, vel etiam à malo demone impelli dicunt, vt nouum religionis & vitæ genus suscipiamus. Nescit enim infelix vnde procedat spiritus ille, & quò vsq. vires suas extendat. Non mirum ergo si ita de nobis iudicet. Hæc cerè causa fuit, quòd ipsum Christum hostes Samaritanum & demoniacū dicebant. Curemus potius vt fidei sinceritate, vitæ innocencia & morū probitate calumnias eiusmodi confutemus: & in Christo Iesu spem habeamus.

mus inuitam, qui ex suo verbo & spiritu regenitos facile agnoscat, & illos olim in regnum suum transferet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in eternum, Amen.

H O M I L I A X I X.

Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es ille magister Israelis, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis coelestia, credetis? Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit e caelo, nempe Filius hominis qui est in caelo.

Quoniam homo per lapsum peccati non modo à dignitate sua priori excidit, verum etiam intellectus & rationis luce spoliatus est, ut caelestia sapere non possit, salutis nostrae principium est, ut primo quidem corruptionem nostram agnoscamus, deinde uero calicis renati in hominis nos transformemur. Ideo cum Christus Nicodemum instituere uellet, quæ sciebat pharisaico errore inflatum, proprijs sui ingenij uiribus & operum suorum meritis considerare, ab hoc articulo doctrinae suae exordium fecit. Et quia Nicodemo hoc nouum erat & insolens, regenerationis auctorem & modum nuper exposuit, nimirum quod omne hoc spiritus sancti operatione perfici oporteat, qui semens uerbi in nobis uiuificet, & ita nos totos ad eius præscriptum innouet atq; transformet. Hæc modò grauis reprehensio subiicitur, quia Nicodemi tarditatem corripit, & in illo simul omnes excitat, ut seruicium ueritatis doctorem audiant, & totis animis complectantur.

Occasionem huic quoque tractationi Nicodemus praeiuit: qui cum Christus mysterium hoc similibus uenti uel aeris exposuisset, adhuc tamen tardus & tantarum rerum consideratione quasi attonitus, rursum interrogat: Quomodo possunt hæc fieri? Et hoc dicens, non simpliciter de modo quaerit, sed quia à Christo expositum non potuit intelligere, impossibile illi uidetur quicquid de renascencia & inuouatione hominis hucusq; audierat. Ita uero proprio exemplo probat, uerè dictum fuisse à Christo, Neminem, nisi prius regeneretur, posse regnum Dei uidere, aut eius mysteria percipere. Solet hoc ipsum nostri seculi phariseis accidere. Impossibile illis uidetur, hominem absq; suorum operum meritis iustificari ex sola gratia per fidem in Iesum Christum. Causa erroris huius est, quod suis uiribus nuntur, ingenij sui solertiae confidunt, & iustitiae suae plurimum tribuunt. Sed quò magis ista omnia iactant, & contra ueritatem disputando ingenij sui uires magnifice ostentant, eò turpius produnt suam corruptionem atq; infantiam. Discamus ergo, nullam esse in fidei atq; salutis negotio remorem auocententem, quam si modum mysteriorum celestium ad nostrae rationis calculum reuocare uelimus. Hinc enim fit, quod impossibile putamus esse, uel etiam absurdum, quicquid nostri ingenij captum excedit. Consultissimum uero fuerit, intellectum nostrum & sensum omnem per fidei obedientiam Dei uerbo subijcere, & quod illo traditur, fide indubitata amplecti quando constat, Deum & ueracem & omnipotentem esse, & proinde uelle simul & posse præstare quaecumq; pollicetur. Neq; tamen audiendi sunt, qui sui capitis fragmenta per Dei omnipotentiam probare solent. Non enim hæc ab illius uoluntate debet diuelli, neq; ualeat quod ab omnipotentia Dei ducitur argumentum, nisi ex uerbo nobis sciet de ipsius uoluntate.

Sed ad Christi responsonem accedamus, qui Nicodemi tarditatem uehementer corripit. Ita uero fieri oportebat, ut uerbi & spiritus magisterio se submitteret, quod nunquam faciunt quicumq; se sapientis oculos & sapientes esse arbitrantur. Confutatur autem Christus exemplo suo eos, qui nullius ignorantiam traduci uolunt aut argui, & nunquam non illud Pauli in ore habent: Unusquisq; in sensu suo abundet. Vbi primum Graeci sermonis ignorantia & ueteris interpretis hallucinatione decepti, uerbis Apostoli sensum alienum affingunt, quasi ille iubeat unumquemq; proprio consilio rei & suam mentem suae intentionem sequi: cum ille nihil frequentius quam fidei obedientiam præcipiat, quam euangelicae predicationis finem atque scopum esse docet. Et in eo etiam loco non iubeat ut quisq; quod

Nicodemus iterum suam ignorantiam præstat.

Christus Nicodemi tarditatem corripit. Rom. 14.

sibi rectum videtur faciat, sed ut singuli de sua sententia ex Dei verbo certi fiant, & huic sese prebeant regendos. Constat enim $\pi\lambda\alpha\gamma\alpha\phi\alpha\sigma\epsilon\lambda\alpha\gamma\ \iota\gamma\ \pi\lambda\alpha\gamma\alpha\phi\alpha\sigma\epsilon\iota\delta\iota$ de fidei certitudine passim dici, quae nisi in Dei verbum recumbat, nulla omnino esse potest. Deinde quod de rebus medijs atq. indifferentibus illic dicitur, isti ad fidei articulos extendunt, sine quibus salutis ratio non potest consistere. Adhaec dum fidei mysteria nostri ingenij arbitrio subiiciunt, omnia in religione dubia & incerta faciunt. Sed aliter Christus, qui ut hoc loco Nicodemum, ita alibi scribas & sacerdotes grauitur corripuit; & olim in lege iussit bouem errantem ad herum suum reducere. Porro singulas huius correptionis partes ex ordine videamus.

Primo ait: Tu es ille magister Israelis, & haec ignoras? Ex quibus verbis apparet, Nicodemum celeberrimum & summae auctoritatis doctorem fuisse. Non autem illi hunc dignitatis gradum exhiberat Christus, quem ex officio obtinebat, sed rerum cognitu necessariorum ignorantiam. Et habent verba haec suum pondus siue acrimoniam. Quasi diceret, Tu ipse es ea ignorare doctorem, quae ipse alijs tradere debebat; neq. in ecclesia doctoris nomine dignus es, qui salutis rationem nondum intelligit. Tu vero, cum in Israele, id est in electo Dei populo doctoris summi atq. celeberrimi nomen sustineas, non te pudet tam rudem esse & ignorantem eorum, quae prima salutis humanae fundamenta sunt? Vix ergo aliquid grauius dicere poterat Christus, quam quod verbis huius paucissimis dixit. Rursum vero admonemur, non modo vulgus hominum, verum etiam ipsos doctores propter ignorantiam atq. inscientiam argui atq. corripi debere. Nec enim in priuatis hominibus excusari potest ignorantia salutis & eorum, quae ad hanc pertinent, cum illa Deus tam fideliter nobis reuelet. Quod si vero illa in doctore deprehendatur non reprehensione modo, sed odio & detestatione dignissima est. Nec enim in illis solis haeret malum istud, sed in alios omnes redudat, qui Legem Domini ex ipsorum ore querere, & per illos erudiri debebant. Non potest ergo non miserrima esse conditio populi, qui ab eiusmodi doctoribus regitur: quia tunc impletur illud Solomonis, Desiciente propheta, dissipatur populus. Et illud Christi: Si caecus caeco dux fuerit, ambo cadunt in foveam. Patet hoc in exemplo Iudaeorum, quorum commiseratione Christus apud Matthaeum vehementissima motus fuisse dicitur, eo quod illos dispersos videret instar ouium, quae pastorem non habent. Nam etsi pastorum titulo superbos haberent quam plurimos, iidem tamen ignorantes erant, & hoc etiam Nicodemo nostro rudiores, & proinde fidei suae commissos turpiter seducebant. Quod cum semper fiat, ubi doctores eiusmodi ecclesiae praesunt, publicae salutis ratio postulat, ut illorum inscitia arguatur. Vtinam vero correptionem omnes tam patienter ferrent quam Nicodemus iste, qui nec verbis durioribus Christum excepit, neq. ab illo discessit, sed monenti aures praebuit, sicq. in salutis negotio profectum minime penitendum. Hodie ne errasse videantur qui sibi in ecclesia primum locum vendicant, non modo errores manifestos defendunt, verum etiam insanis clamoribus, horrendis conuiuijs & aperta vi monitores fidos rejiciunt. Sed accidet illis quod reliquis Iudaeorum sacerdotibus, quibus Romanos milites reformatorem loco superinduxit Deus, cum filium suum nolent audire.

Doctrinae Christi ueritas & certitudo.

Ceterum poterat Nicodemus aliorum exemplo ignorantiam suam excusare, & simul uniuersalem Iudaeorum consensum praetexere, quo Christi doctrina damnabatur. Occurrit ergo hic, & graui cum contestatione illius ueritatem atq. certitudinem asserit. Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis. In plurimi numero ista dicit, ut se cum Ioanne Baptista, uel etiam cum prophetis omnibus coniungat, qui ex spiritus reuelatione iam olim eadem docuerant. Et sensus uerborum est: Scio mi Nicodeme, non te solum in istorum consideratione hallucinari, sed doctrinam meam uniuersali uestra gentis consensu contemni atq. explodi. At non ideo tibi illa suspecta esse debet, eo quod hominum iudicia ueritati nihil derogare aut detrahere possunt. Nam ut ut vos de doctrina ista sentiat, ego tamen sancte affirmare possum, nihil ea contineri, quod non nobis abunde compertum sit. Sed quae uestra est pernicacia, vos testimonium nostrum non recipitis, cum interim nimium faciles sitis in recipiendis hominum inceptorum & supersticiosorum traditionibus, quibus simplex & saluifera ueritatis doctrina obscuratur. Ita uero euangelij doctrinam phariseorum commentis opponit, quae apud illos in summo pretio erant, cum nec ueteris scripturae auctoritate, nec idoneis rationibus confirmarentur. Est uero locus hic diligentibus obseruatione dignissimus, eo quod euangelij ueritatem atque certitudinem grauissime asserit atque confirmat.

confirmat. Primum enim dum omnium prophetarum personam in se suscipit Christus, illorum confes-
sum omnibus ijs opponit, qui sua signa ecclesie obrudunt: nosq; suo exemplo admonet, ut ipsi quoq;
scriptura veteris & noua auctoritatem omnibus ijs opponamus, qui sine Dei verbo Patres, Conci-
lia, Canones, Decreta & que alia sunt huius generis, sonant. Deinde iniurandum interponit, qua
nunquam nisi in rebus serijs atq; grauissimis dei consuevit. Tercio, Quod scimus loquimur, inquit.
Ergo nihil hic fictum traditur, aut quod nusquam in rerum natura sit: ut solent qui de Dijs ficti ijs
& superstitiosis cultibus verba faciunt. Quarto, Et quod vidimus testamur. Ipsos sensus in testimo-
nium adducit, ne quis illusionibus & imaginationibus friuolis deceptos putet. Viderunt autem my-
steria hac propheta ex spiritus reuelatione, & ideo olim Videntes dicti sunt. Vidit Ioanes celos aper-
tos & columba instar descendentem spiritum sanctum, & simul vocem patris de filio calitus testan-
tis audiuit. Vidit Christus iam inde ab eterno in sinu patris ista mysteria. Viderunt ipsum & audi-
uerunt, imo correpti sunt Apostoli, quos totius orbis doctores esse voluit. Postremo, Testamur inquit,
ut ostendat hoc non vulgare nuncium aut doctrina genus esse, quod obiter & quasi aliud agendo pro-
ponatur: sed testimonium esse, de quo dubitare nefas sit, cum in lege duorum aut trium testium sermoni
fidem habere iubeamur. Et hac quidem in doctrina sue commendationem dicit versus & eternus
Dei filius, quibus adde Apostolos, Martyres & electos omnes, qui doctrinam hanc per annos iam mil-
le quingentos non sua voce modo, sed vita sua, sed sanguine, sed diris & horrendis supplicijs, sed mor-
te ipsa confirmauerunt: & cogitis faceri, nullum vnquam doctrina genus fuisse, quod cum euangelio
conferri possit.

At non minori diligentia obseruabis, quod addit: Sed testimonium nostrum non recipitis. De qui-
bus enim hoc dicit Christus? De Iudais, penes quos tunc erat ecclesia ritulus: imo de sacerdotibus &
scribis, qui ecclesie antistites, doctores & columna habebantur. Quid ergo ad hoc respondebunt, qui
euangelium ab Ecclesia comprobari oportere clamant? Annon de ea, que tunc erat, ecclesia Christus
queritur, quod testimonium eius non recipiat? An ideo testimonium Christi a nemine recipi debuit,
quia qua tunc erat ecclesia illud exprobat? Annon potius quia illud non recipiebat, ecclesia esse de-
sijt, nisi quoad nomen & externam speciem? Annon alibi Christus se ab homine testimonium accipere
negat? Vt ut quidem hominum testimonio in regni sui propagatione, sed non quod illo opus habeat,
sed ut suam erga nos bonitatem declaret, & nostre ruditati sese accommodet. Habet enim ex se
ipsa suam auctoritatem veritatis, neq; inanibus hominum fulcris sue presidij nititur, qui ut falli pos-
sunt, ita ipsi frequenter alios fallere consueverunt. Neq; nos offendi decet, si quando pauciores sunt
qui euangelio credunt. Primum enim hominum incredulitas Dei verbo nihil derogat, cum nec homi-
num verba, que per se vera sunt, nihil derogare possit. Deinde est hoc mundi ingenium, ut cum qua-
uis signa facile recipiat, ad solum Dei verbum attonitus obstupescat, & quod illo traditur putet
absurdum esse & impossibile. Docet hoc omnium seculorum experientia. Quid obsecro absurdius, ima-
pudentius & turpius excogitari potuit, quam que olim gentes de Deorum suorum multitudine, ge-
neratione, nuptijs, imo stupris & adulterijs sinxerunt? ut iam de sacris illorum nihil dicamus quo-
rum alia scurrilibus iocis, alia omni libidinis genere, multa etiam cadibus cruentis & parricidijs pro-
phanarunt. At tamen non modo fidem illa inuenerunt apud homines, sed communi omnium gentium
consensu approbata sunt, ut pleriq; per scelera Deos placari & salutem sibi obtingere arbirarentur.
Idem de Mahometicis fabulis dicere possumus, que cum putidissima sint, in illis tamen regionibus
locu inuenerunt, in quibus olim ipsius Christi & Apostolorum vox primum audita fuerat. Nec alia
est eorum ratio, que in Paparu, monachorum scriptis et viua sacrificulorum vocet raduntur de pur-
gatorio, de spirituum apparitionibus, de reliquijs, indulgentijs item & sexcentijs alijs: que cum absur-
dissima sint, creduntur tamen, & pecunijs redimuntur, e contra verò sola euangelij veritas explodit
tur, & impossibile aut absurdum putatur quod per verbum suu Deus nobis proponit. Hoc (inquã)
cum sit mundi huius ingenium, & tale omnibus seculis fuerit, cur ista hodie fieri miremur? Quis po-
tius cogitemus, Dei verbum a nemine impune contemni: neq; alioru exemplis excusantur illius con-
temptores, eo quod ab vnus Dei auctoritate nos pendere conuenit, & vnus Dei vocem sequi.

Pergit verò Dominus, & magis adhuc arguit communem gentis totius ignorantiam, & huius
causam in ipsis barere docet, quia se nolint audire, qui solus hac mysteria tradere possit. Si (inquit)

Euangelij aucto-
ritas non pendet
ab hominibus.

Ignorantia con-
tam in ipsos
reijcit.

terrena dixi vobis, & nō creditis, quomodo si dixerō vobis cœlestia, creditis? Terrena vocat ipsum doctrinæ suæ genus, quod non sublimi mysteriorū cœlestium tractatione assurgebat, sed similibus & parabolis ē vulgo petitis illustrabatur. Vt enim nuper regenerationis mysterium per veni aut atri parabolam exposuit: ita passim similibus vsus est evidētissimis, quibus sese hominum captui accommodavit. Est hoc magnum bonitatis diuinæ argumentum, cum ita sese demittat æterna illa sapientia, vt nobiscū quasi balbutire dignetur. At simul ex eo nostra arguitur stupiditas atq; arrogantia: illa quidem, quod salutis rationē adhuc non percipimus, sed per inanes speculationes quasi in alieno orbe oberramus: hæc verò, quod cum tales simus, nostri tamen ingenij vires, arbitrij libertatem, operum merita plenè buccis prædicamus. Singuli ergo sibi dictum putent quod hic ad retinendā pharisaicam Nicodemi aliorumq; Iudæorum confidentiam dicitur. Si enim ex nobis ipsi non percipimus salutis mysteria, quæ similibus rerum vulgarium & vstratissimarum adumbrari possunt: qua demerita est, in cælum ipsum proprijs viribus velle ascendere?

Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis.

Deute. 30.

Quin potius Christum audiamus, qui dicti sui rationem reddit, & simul docet quo Mediatore nos in hac causâ adiuuari oporteat. Dicit enim: Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit in cælum, nempe Filius hominis qui est in cælo. Particula ET pro causali ponitur, quod Hebræis frequens est admodum. Potest autem locus bifariam exponi, & ita sententiā hanc Christus huic tractationi consuldo interposuisse videtur, vt ad præcedentia simul & sequentia referri possit. Si ad præcedentia referatur, causam cecitatis ostendit, quam in Iudæis accusat, & se solum eius medicū esse proficitur. Tunc verò in cælum ascendere idem erit, quod regni cælorum mysteria & arcanam Dei voluntatem scrutari. Quo sensu olim Moses dicebat, de vero & æterno salutis præcepto loquens: Non est in cælis: vt dicas, Quis ascendet nobis in cælum vt ipsum nobis afferat, &c? Hoc igitur in præsentia dicit Christus. Non mirum est, vos in mysterijs hysce ita hallucinari, dum vestri ingenij sagacitate illa scrutamini. Nec enim vlli mortalium hoc datum est, vt ipse cælum conscendat, & regni Dei arcana inuestiget. Solus Filius hominis is est, qui illa manifestat, & eorum cognitione hominis mentem illuminat. Etsi enim in cælo sit, Deo patri nimirum coæternus & consubstantialis, descendit tamen & homo factus est, vt mysteria hæc annunciet, & vera Dei atq; voluntatis eius cognitione illuminatos secum in cælum subuehat. Idem ergo hic dicitur, quod supra: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus ille filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quod si ad sequentia hoc membrum referatur, transitum facit Christus ad tertium huius tractationis caput, quo totū nostræ redemptionis negotium exponit, cuius se Mediatorem esse docet. Præmittit ergo quod in huius consideratione primum est: hominem scilicet nihil hic posse suis viribus aut meritis, ideoq; se in mundū venisse, vt sua mortis merito redemptos seruet & regni cælorū hæredes faceret. Vt ergo sensus præsentis instituta probè conuenit, adeoq; coniungi debet, vt intelligamus nobis Christo & doctore & seruatore opus esse, si regnum Dei consequi velimus.

Veritas incarnationis Christi assertitur.

Disputant ex hoc loco nonnulli aduersus veram Christi incarnationē & humanē in illo naturam veritatem. Olim enim Apollinaris & eius similes, Christi carnem cœlitus per Mariam, cœncalem, transisse, non autem ex illa assumptam esse contendebant. Sed cōuincuntur illi totius scripturæ autoritate, quæ Christum semen mulieris, semen item Abrahami & filiū Davidis nominat. Et angelus Mariæ dicebat: Quod in te nascetur. Non, quod in te descendet de cælo &c. Rursum hodie reperuntur, qui vt euincant Christi corpus perinde vt eius deitatem vbiq; præsens esse et per omnia diffundi, huius loci verba & literā vrgent, et Christum eum hæc diceret, quoad corpus etiam in cælo fuisse clamant. Sed his opponimus, quod ne in terris quidem corpus Christi vnquā simul diuersis in locis fuerit, nec vlla fiat eius miraculi mentio apud euangelistas, qui hoc non fuisse dissimulari, si quid tale vnquam fecisset. Ipse certè se Bethania fuisse negat, cum illic Lazarus moreretur: quod non aliter quàm de eius corpore potest intelligi. Et corpus eius querentibus Marijs angelus dicit: Surrexit, non est hic. Vt insinua huius generis testimonia omittamus. Restat ergo, vt veteres interpretes secuti, locum hunc per Idiomatum communicationem exponamus, qua sit, vt interdum de vero Christo dicatur, quod de altera tantum natura potest intelligi. Solet autem eiusmodi locutionibus vtriusque personæ vnitatem exprimat, & inter naturas distinguat. Ex cælo igitur descendit Filius hominis, quando Dei filius ex muliere homo natus est. Idem verò in cælo mansit semper

semper quoad Deitatem, qua patri indiuisse vnitur, & quae mutationem nullam suscipit. Hoc sensu olim orthodoxi patres multos scripturae locos feliciter conciliarunt, qui primo aspectu inter se dissentire videntur. Quod si cui placet contentionis studium, quae paradoxis delectatur, rixetur quantum velit, sed Christum olim iudicem venturum sciat, cui de quouis verbo otioso rationem nos reddere oporteat. Nos ad Christi Iesu institutum respiciamus, qui vt toto hoc loco Nicodemi & Iudeorum omnium ignorantiam arguit, ita docet se vnicum salutis nostrae magistrum atque doctorem esse. Ipsum ergo audiamus, vt eius spiritum atque verbo edocti sancte ambulemus, & per illius meritum regni aeterni atque caelestis heredes efficiamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

H O M I L I A XX.

Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicaret mundum; sed ut seruetur mundus per eum.

Quemadmodum in corporis medicina certam morborum cognitionem habere conuenit, vt quae pharmaca adhibenda sint medicus intelligat, & illa sibi adhiberi egrotus patiatur: Ita in salutis humanae negotio ante omnia peccatorum & corruptae naturae notitia opus est, vt salutem extra nos querendam esse sciamus, & vnicum huius auctorem patienter admittamus. Quia vero tanta est in nobis naturae corruptio & caecitas, vt peccata nostra videre non possumus, sed & voluptatem singularem captemus ex illis, quae nos totis animis odisse oportebat, multiuariam peccata arguit Deus, vt horum cognitione nos ad salutis studium excitet. In hunc enim finem olim Lex data fuit, & de spiritu sancto Christus testatur, quod mundum peccati conuincat. Idem Apostolus Euangelij praedicandi munus committens, illos a penitentia exordiri iubet. At penitentiam alicui persuadere impossibile est, nisi peccatorem esse conuincas, & infelicem peccati conditionem illi ob oculos ponas. Quapropter eodem ordine Christus quoque procedit in tota hae tractatione, quae ipsi eum Nicodemo intercessit. Quia enim is ex Pharisaeorum numero erat, qui suarum virium & propriae iustitiae fiducia inflati, gratiam Dei non magni faciebant, principio statim vt fiduciam hanc recundat, regeneratione opus esse docet, & eam ostendit esse humanae naturae corruptionem, vt nemo suis viribus caelum conscendere possit, vt vel intelligat regni caelorum mysteria, vel illius hereditatem suorum operum meritis consequatur. Postquam autem de hoc dixit quantum satis erat, transit modo ad tertium huius tractationis caput, & veram salutis consequendae rationem illi monstrat in seipso, qui verus & vnicus illius mediator sit. Et primo quidem salutem in se vno contineri docet. Deinde illius fontem in mera Dei gratia atque bonitate aperit. Postremo quod dixit, solidissima ratione confirmat.

Quoad primum, quia ipsi cum scriba & cum Iudaeis erat, quem crucis praedicatione sciebat salus in uno offendi, typum ex Mose profert, vt ostendat hanc salutis rationem, non nouam aut hactenus inauditam, sed iam olim typis legalibus adumbratam fuisse. Quod enim Moses (inquit) olim fecit, quando patribus in deserto propter immisos serpentes periclitantibus, aneum serpentem ex stipite sublimem suspendit: hoc ipsum in me fieri oportet, vt in crucem suffixus humano generi salutem feram. Extat historia Num. 21. cap. vbi sic scribit Moses: Et profecti sunt de monte Hor per viam maris rubri, vt circumirent terram Edom: & in via abbreviata est anima populi. Locutusque est populus contra Deum & contra Moysen: Cur effecistis vt ascenderemus ex Aegypto, vt moreremur in solitudine? quia nec panem habemus nec aquas, & anima nostra cibum hunc leuissimum fastidit. Misit igitur Dominus in populum serpentes ignitos, qui populum mordebant: & mortuus est ex

Israele populus multus. Veniens itaque populus ad Moſem, dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & contra te: Ora Dominum, vt auferat à nobis ſerpentes iſtos. Et orauit Moſes pro populo, dixitque Dominus ad Moſem: Fac tibi ſerpentem ignitum, & pone illum in ſignum: & erit: ſi quem momorderit ſerpens, intueatur illum, & viuet. Et fecit ita Moſes, &c. Iſta eſt narratio hitorie, quam in præſenti Chriſtus adducit. Nec temerè cum multis alijs typos proferre poſſet, huius præ alijs meminiffe voluit: nimirum quòd in hoc vniuerſa noſtra ſalutis ratio omnium euidentiffimè adumbratur. Nam primò indicat typos iſte, que nam ſit omnium noſtrum conditio: eadem nimirum que Iſraelitarum fuit, quando in deſerto agebant. Inſtabantur illi à ſerpentibus, quos vrentes ſue ignitos vocat ſcriptura, eò quòd venenum inſpirarent ardentiffimum, quo miſeri totis viſceribus inflammari aſtuabant, potu autem adeò non ſubleuabantur, vt potius ex eius abundantia ruptis & præſocatis membris vitalibus perirent. Videntur enim ſerpentes illi diſplades aut preſteres fuiſſe, quibus hæc nomina Græci à ſiti & inflammatione impoſuerunt. Ita poſtquam vetus ille ſerpens, ſatan, Adamo peccati virus inſpirauit, & peccati ſeruum fecit, malum iſtud hereditaria contagione omnem poſteritatem peruaſit. Ardemus ergo prauis cupiditatibus, & naturali inclinatione alius ad libidinem pronus eſt, alius habendi deſiderio flagrat, alius honores & gloriam huius ſæculi ſiit, alius vniuersæ cupiditate inflammatus nihil aliud quam vulnera, ſanguinem atque cades ſpirat: Denique nemo eſt mortalium, quem non peſtilentiſſima deſideriorum carnalium ſitis infeſtet. Quòd ſi bibere libeat, & affectibus indulgere, adeò non reſtinguitur ſitis illa, vt potius magis inflammata mortem & exitium nobis accelleret. Et quia tales natura ſumus, nihil etiam ad ſalutem noſtram ipſi poſſumus conferre: non plus (inquam) quam paralyticus aut hydropticus, qui membris omnibus miſere debilitatus ab aliorum auxilio dependet. Extra nos ergo remedium quaeratur oportet, nec quicquam noſtris vel viribus, vel meritis debet tribui. Et hoc quidem noſtra ſalutis principium eſt, ſi corruptæ nature noſtra miſeriam agnoſcamus. Quod niſi fiat, in nobiſiſſis hæremus, neque nobis alio medico opus eſſe arbitramur: quæ proxima ad perditionem via eſt ſicuti phariſæorum cum veterum tum recentium exempla abundè teſtantur.

Aeneus ſerpens
Chriſti typos.

Ceterum vt corruptionem noſtram & infelicem ſtatum typos iſte adumbrat, ita ſimul docet, vbi nam vita ſalutisque quaeri debeat: In Chriſto nimirum, cuius typos in ſerpente iſto aneo propoſitum fuiſſe, ipſe diſerti verbis teſtatur. Vt enim ſerpens iſte vnicum & commune remedium erat omnibus, qui à ſerpentibus ignitis mordebantur: Ita Chriſtus Ieſus communis & vnicus omnium ſeruator eſt, qui ab interitu liberari cupiunt. Docet hoc ipſe, quando apud prophetam ait: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Quòd etiam illud Euangelicum pertinet: Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem, niſi per me. Vnde Apoſtoli ſuam illam ſententiam deſumpſiſſe videntur, qua docent, nullum aliud nomen ſub celo hominibus datum eſſe, in quo nos ſeruari oporteat, quam Ieſum Chriſtum. Quòd vnum ſufficit ad confutandum omnes ſectas, que ſalutem extra Chriſtum quaerere docent. Pulchre autem ſerpentis aenei typos Chriſto conuenit. Vt enim ille ſerpentis formam quidem repreſentabat, veneni autem omnino expers; imò etiam ſalutaris erat: Ita Dei filius homo factus, formam quidem carnis peccatricis aſſumpſit, à peccato autem alieniſſimus fuit, eò quòd non communi hominum more ex viri & mulieris congressu, ſed ex ſpiritu ſancto conceptus, & ex virgine Maria natus ſit. Talem enim illum eſſe oportebat vt ſufficiens pro peccatis noſtris victima poſſet fieri. Et in hunc finem illius innocentiam atque ſanctitatem nobis ſcriptura commendat: nec alius etiam viginatus Maria in ſalutis negotio vſus eſt: quod vtiſſimè obſeruant, qui neglecto Chriſto, mediatoris officium in illam transferunt, & nos eius hoſtes eſſe clamant, quando in vno Chriſto acquiſcimus.

Chriſtus exaltatus
ſaluat.

Præterea, quomodo Dei filius, Ieſus Chriſtus, nobis ſalutifer fiat, idem ſerpentis aenei typos oſtendit. Nam vt illum exaltauit inſtar ſigni & vexilli Moſes: Ita exaltari oportet (inquit Chriſtus) filium hominis, &c. Et obſerua, quòd hoc ita oportere fieri, ait: nimirum quòd noſtra ſalutis aliter conſuli non poſſet. Potest autem bifariam intelligi iſta exaltatio, & vtique ad ſalutem nobis eſt neceſſaria. Primò enim exaltatus eſt Chriſtus, quando ſublimis in cruce pependit. Deinde

Euangelij

Euangelij prædicatione illum in toto orbe instar vexilli exaltavit pater, ut ad ipsum colligantur, quicunque salutis heredes fieri cupiunt. Ut verò in cruce illum mori oportuit, ut sua mortis merito peccata nostra expiaret: Ita non minus necesse fuit, ut eius meritum per totum orbem divulgaretur, & per Euangelij prædicationem coram omnibus oculis quasi crucifigeretur (ut de Galatis Paulus scribit) ut in illo vno salutem omnem repositam esse omnes intelligerent. Virumque ergo exaltationis genus hic comprehendit, ut etiam infra Cap. 12. cum ait: *Ubi exaltatus fuero à terra, omnes erabam ad meipsum.* Et hic nobis diligenter observandum est, quæ hodie ratio sit exaltandi Christum, ut nobis ille salutaris fiat. Tribuunt hic multum superstitiosi homines simulachris, & Christum magnificè extolli & euehi putant, si passim in templis, in vijs & compitis, domi item in cubiculis & sacellis privatis, crucifixi imagines habeantur. At hoc nusquam ille iussit, nec quicquam tale Apostoli eius præceperunt, & constat veterem ecclesiam per annos circiter quingentos imagines habuisse nullas, sed Dei præceptum sanctè custodivisse, quo illa prohibentur. Et quàm parum pietati verè seruiant imagines, res ipsa loquitur, cum inobedientiam manifestam sibi coniunctam habeant, & superstitiones pariant, quibus à vero atque spiritali Dei cultu hominum mentes auocantur. Exaltatur autem Christus per Euangelij prædicationem, quæ ut omnes homines peccati conuincit & mortis reos esse docet: ita in vno illo nobis iustitiam, satisfactionem, sanctificationem, vitam atq. salutem monstrat. Deprimat ergo prædicatione ista quicquid superstitio & sapientia humana excogitat, ut solus Christus in hominum animis emineat, ut vicus humani generis redemptor agnoscat. Si qui igitur Christi gloriam euehere aut tueri volunt, Euangelij doctrinam prouehant atque tueantur: & ita plus proficiant, quàm si omnes locos tam publicos quàm priuatos imaginibus impleant, quæ nobis adhuc in terris cruentum & lacerum repræsentent Dei filium, qui deuicta morte & diabolo in cælesti gloria patris sedet & regnat.

At non minus nouisse oportet, quomodo Christus hic noster fiat, ut quæ nos salutis per ipsum acquisite consortes reddamur. Docet hoc, cum ait: *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quomodo se vicum salutis nostræ mediatorum esse docuit: ita vnicam modò & omnibus communem rationem proponit, quæ nos salutis huius participes reddat. Fidem nimirum, quæ passim in scriptura hoc nomine nobis commendatur. Conuenit hoc etiam pulchre cum typo serpentis olim in deserto suspensi. Ut enim ille à Deo quidem in hoc destinatus erat, ut mortiferis serpentum moribus mederetur, nemini autem proderat, nisi qui in illum respexisset: Ita in filio quoque Deus exhibuit quæcumque ad salutem sunt necessaria: at ut ille nobis salutaris fiat, fide opus est, qua Dei consilium agnoscamus, & in illo spem salutis omnem collochemus. Hæc enim vnicæ est ratio, qua Christum olim pro nobis mortuum & nunc in cælis regnantem apprehendimus, & quæ facit, ut propter illum non imputentur nobis peccata nostra, nosq. ex eius verbo & spiritu renati inuouemur, adeoq. ipsum in nobis viuentem atque regnantem habeamus. Ideo toties in Euangelio sententia ista repetitur: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Cui particulares istæ consentiunt: *Fides tua te seruauit, Fiat tibi secundum fidem tuam.* Hinc quoque suum illud dogma petierunt Apostoli. Sola fide nos iustificari atque saluos fieri. Quia enim (ut diximus) solus Christus nobis à patre factus est iustitia & redemptionis pretium: idem verò non alia ratione quàm fide apprehendi potest: sequitur præter hanc nihil in nobis esse, quod nos iustitiæ & salutis in illo exhibita consortes efficiat. Quia verò ista salutis ratio carni leuicula videtur, & eadem multi offenduntur, quasi securam quidam agendi licentiam hominum animis inserat: paulò diligentius erit videndum, quid sit Fides, & quid illa in hominum animis operetur: & mox patebit, sub fidei vocabulo plus à nobis exigì, quàm prima fronte appareat, nec temere illi omnem nostræ salutis rationem acceptam ferri.

Crederè dicuntur, qui ijs qua audiunt fidem vel assensum præbent. Germani *Glouben* à verbo *Fides* quid sit *Glouben* deduxerunt, quod est aliquid serò & cum solenni stipulatione polliceri, & *Glouben*, id est, credere dicuntur, qui promissis eiusmodi fidem adhibent. Deo igitur credere, est illius verbis atq. promissis assentire: & in Deum credunt, qui promissionum eius certa fiducia confirmati, in illo

spem collocant. In Christum itaque credunt, qui illi fidunt, & in illo sperant. Dicimus ergo Fidem, de qua hic agitur, esse certum & firmum animi assensum, ex Dei verbo enatum, quo Christum talem agnoscimus, qualem illum nobis scripturae proponunt. Docent autem illum esse verum & patri coeternum Dei filium, qui ex Maria virgine homo factus, peccata nostra in sese transtulerit, eadem mortis suae merito expiarit, mori resurrectione vicere, caelos sua ascensione nobis patefecerit, & illic ad dexteram patris confidens, vnicus sit humani generis redemptor, nosterque apud patrem mediator atque aduocatus, adeoque summus & aeternus ecclesiae suae Rex & Sacerdos, qui illam in terris peregrinantem suo spiritu regat, & sua virtute conseruet: in nouissimo autem die venurus sit ad iudicium, ut suis quidem promissa vitae aeternae praemia, impijs vero & a regno suo alienis poenas sempiternas retribuatur. Haec ferè eorum summa est, quae de Christo sacrae litterae tradiderunt. Quicumque ergo talem agnoscunt, & firmo animi assensu sibi talem factum esse intelligunt, hi in illum verè credunt, & ad illos salutis per hunc acquirendae promissiones pertinent. Et hanc fidei regulam Christus ipse nobis tradidit, quando se pro illis orare dicit, qui in ipsum credant per sermonem discipulorum, id est, qui talem agnoscant ex fide, qualem Apostoli praedicarunt.

vidi effecta.

Non ergo inanis opinio est fides, neque temere in mentibus nostris concepta persuasio, cuius ipsi nobis auctores simus: sed fiducia certa est, quae ut Dei verbo et promissionibus nititur, ita a solo Deo animis nostris inseritur, & illius spiritu conseruatur. Quapropter neque otiosa est fides, neque e-mortua, sed effectus pulcherrimis & omnem humani ingenij caput superantibus virtutem suam exerit. Qui enim Christum per fidem ita agnoscunt, ut modo docuimus, illi primò in vno hoc omnem salutis suae spem atque fiduciam collocant, nec alia quaerunt pro peccatis suis sacrificia, non alias satisfactiones excogitant, nec ab alijs excogitatas recipiunt, non alijs apud Deum mediatoribus suae aduocatis vtuntur: sed ad vnum illum confugiunt, in illo vno sperant, neque aliud nomen sub caelo datum esse sciunt hominibus, in quo nos seruari oporteat. Deinde cum hunc sibi Regem & Sacerdotem factum esse intelligant, ab illo etiam vno dependent, illum solum audiunt, docenti credunt, monenti obtemperant, increpantem & castigantem patienter ferunt, denique verbo illius rationem & intellectum omnem vna cum affectibus suis per fidei obedientiam subiiciunt, neque ad sua rationis calculum reuocant quae ille praecipit siue pollicetur, sed illis firmiter inhaerent, licet non modo communem sensum, verum etiam naturae cursum illis aduersari videant. Quò fit, ut in periculis intrepidi, in afflictionibus constantes, & in omnem euentum instructi, patientia sua omnes mundi huius & principis mundi conatus atque potentiam vincant. Postremo per fidem hanc non modo apprehendunt Christum, sed illi etiam inseruntur, ut in illo viuant, & vicissim ipsum in sese viuentem habeant, illius spiritu ducantur, & ex verbi eius semine per spiritum regenerati, ipsum in omnibus suis dictis factisque referant: sicque fructus ferunt vberissimos, sicuti ipse infra in vitis & palmarum parabola docebit. Hi (inquam) fidei in Iesum Christum effectus sunt, quorum exempla in Abrahamo, Davide & in Apostolis sanctisque martyribus passim occurrunt. Et de his, non de nostra intentionis operibus Iacobus loquitur, dicens: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, &c. At si ista diligenter examines, illa non vires modo nostras, sed ipsum quoque rationis humanae caput superare videbis. Quis enim, si carnis rationem audiat, hominem e genum & miserum, qui post omnium generis ignominiam in medio latronum suspensus expirauit, Dei filium esse credat? Quis salutus auctorem dicat eum, qui ipse in hostium manus peruenit, & ab illis sibi exprobrari auditur. Descende nunc de cruce: alios seruauit, seipsum seruare non potest? Quis Deo gratum & acceptum mediatorem putet esse eum, quem in cruce clamantem audit: Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti? Aut num humanarum virium esse dicemus, abnegatis & mortificatis carnis affectibus omnia relinquere, spretis terrenis caelestia sectari, contemptis praesentibus absentia sperare, ad haec inter afflictiones perpetuas veram felicitatem, & in ipsa morte vitam aeternam sibi polliceri? Haec certe eiusmodi sunt, ut illa nunquam praestituri simus, nisi Deus efficaci spiritus operatione animos nostros illuminet, imò innouet atque reat, ut carnem reluctantem superare possimus. Idò Paulus fidem Dei donum esse dicebat, nimirum illud Christi secutus: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Ergo non leuicula est salutis ratio, quae fide in Christum nititur, sed vires hu-

manat

manas longè superat: neque eadem operibus bonis inimica est, sed opera verè bona in nobis parit: adeoq; in Christum credere plus quiddam atque magis arduum opus est, quàm si omnium, quotquot unquam fuerunt & futuri sunt, Monachorum, Eremitarum, Monialium, Beguinarum, Lollardorum, Hypocritarum deniq; omnium opera in unum cumulum congeras, quibus illi se cælum mereri posse somniant.

Porro simul hic nobis consideranda venit Dei bonitas, qui cum fidei mysteria sensum & capere nostrum longè superent, illa non modo per verbum suum nobis tradere voluit, verumetiam externis signis adumbrare, quæ ut intellectum nostrum & sensus omnes ad tantorum mysteriorum contemplationem excitant: ita promissiones quoque & exhibitum nobis in Christo salutis beneficium verè obsequant, ne fides in tentationibus fluctuans succumbat. Habuerunt eiusmodi signa veteres plurima, inter quæ serpentem quoque aneum connumerari debere ex presenti loco patet. Nam ve presenti necessitati seruebat, & aduersus dipsades tuebatur: ita Christum adumbrabat, qui veteris serpentis caput olim esset conculcaturus. In veterum locis successerunt Baptismus & Cæna Eucharistica, quorum eundem usum esse alibi diximus: quàmuis illa ve numero pauciora sunt, ita virtute maiora, & utilitate meliora esse, cum D. Augustino libenter fatemur. In his autem diligenti cura opus est, ne illis seruiliter inherendo superstitionis occasionem ex ijs petamus, quæ nobis ad veram fidem adiumento esse debebant, & animos nostros ad Christum fide percipiendum in cælos subuehere. Peccarunt in hoc olim Iudei, quando serpentem aneum diuinis honoribus coluerunt, & laudatur Ezechias, qui illum è medio sustulit, ne quid simile in posterum facerent. Nò minor ergo illorum culpa est hodie, qui signa pro rebus colunt, & in illis superstitiose quaerunt, quæ in vniuersi Christi merito possunt inueniri. Quod si fiat, non quidem aboleri debent sacramenta, quorum usum in sua ecclesia perpetuum esse vult Christus: curandum verò, ut illis rectè vii discant, qui ex illis erroris occasionem arripuerunt. Sed de his plurà alibi, &c.

Deus fidem sacramentis quoque adiuvat.

Redeamus nunc ad presentis loci tractationem, & ad ea quæ de fide in Christum diximus. Est hæc virtutum omnium præstantissima, adeoque virtus illa summa est, quæ alias omnes in se complectitur: quod de iustitia sua olim philosophi dixerunt. Et quia eadem vires & captum hominis longè superat, rectè etiam Dominus illi premium ascribit, quod nullis hominum viribus aut meritis acquiri potest. Ideò enim se oportere exaltari ait, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed vitam habeat æternam. Quibus verbis premium duplex pollicetur, quo fidei donum Deus in suis coronat, ut Augustini verbo utamur. Primum est, quod non perimus, id est, non manemus in perditione, quam peccatis nostris ipsi nobis accersimus, & in quam primi parentis lapsus nos adduxit. Magnum hoc est Dei beneficium, si cogitemus quàm multa quàmque atrocita mala secum trahat ista perditio, quæ ex peccato enata fuit. At quia non statim omnibus modis beatus & felix est, qui ex aliqua miseria liberatur, secundo vitam quoque æternam promittit. Vt enim nomine scriptura omnem felicitatem comprehendit, quæ tunc demum felicitatis nomen mereatur, si æterna, & proinde stabilis sit, neque vllis fortuna casibus obnoxia. Hanc verò non ut olim demum obuenturam, sed ut iam vere presentem Christus in se credentibus pollicetur. Quia enim in ipso vita est, fieri non potest quin vitam iam habeat, quisquis illum fide vera amplexus fuerit. Est enim in hoc mundo afflictionibus varijs exerceantur credentes, salutis tamen sue per fidem certi sunt, & proinde facile contemnunt quæcumque ipsos aduersa exagitant. Nam cum Apostolo dicunt: Si Deus nobiscum, quis contra nos? Quis nos separabit à dilectione Dei? Imò in his omnibus plus quàm victores sumus (tantum enim valet vox Græca, quæ Apostolus vitur) per eum, qui dilexit nos. Roma. 8. Neque frustra hoc dicit, cum afflictionibus non modo non succumbant pii, verumetiam iuxta Christi præceptum illis gaudeam atque gloriantur. Sciunt enim quod afflictio patientiam pariat, patientia verò experientiam, experientia autem spem: porro spes non defacit, eo quod charitas Dei effusa sit in cordibus nostris, &c. Roma. 5. Viuunt ergo, & læti atque felices viuunt in medijs afflictionibus pii Christi cultores, cum interea impij inter carnis voluptates nefarijs cupiditatibus distrahantur, conscientie stimulis excarnifcentur, & ipsi sibi quotidie nouorum terrorum atque malorum auctores sint. Præterea, quàmuis in carne hæc

Fidei premium vita æterna.

mortem corporis huius credentes subeant, tamen neque ista vitam æternam illis intercipere aut eius finem asserere potest. Nam ut infra Cap. 5. dicitur, à morte transiunt in vitam. Olim quidem mors peccati pena fuit, & hodie etiam impijs merito terribilis est, qui in eius articulo nihil aliud quam Dei iram & horribiles inferorum cruciatus videre possunt: ac eadem Christi resurrectione devicta atque exarmata peccati stimulo, credentibus transiens ad vitam facta est, in quam anima statim, ut hinc in fide migrarunt, recipiuntur, eorundem verò corpora in læta resurrectionis spæ quiescunt, olim nimirum ad celestis gaudij consortium Christi virtute resuscitanda, qui illa corpori suo glorioso conformia efficiet. Ideò Paulus dicebat, nos Domini esse siue vivamus, siue moriamur. Et hæc quidem de salutis ratione in vno Christo comprehensa fusius tractare volumus, ne illa toties postea repetere opus sit, quoties eius mentionem Christus in hoc libro faciet. Nunc ad reliqua pergamus.

Causa salutis
amor Dei gra-
tuitus.

Sequitur enim totius nostræ salutis causa principalis, que Deum movit, ut istam eius nobis exhibenda rationem institueret: in cuius consideratione diligenter & crebro versari multum prodest. Miretur enim aliquis non immerito, quò fieri potuerit, ut filius Dei in crucem suffigeretur, & cur istud fieri passus sit pater? Alius verò hostium potentia & viribus superatum fuisse putaverit, quasi ea sit veri Dei conditio, que Deorum gentilium, quos ab hominibus in prælio vulneratos aliquando fuisse Homerus fabulatur. Rursum patrè virtuti aut merito hoc datum fuisse aliquis dixerit, ut filium suum Deus communem humani generis salvatorem mitteret, & in mortem daret. At omnem hisce cogitationibus occasionem eripit Christus, cum addit: Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Aperit hisce verbis fontem & primas causas humana salutis. Et primò quidem omnem hominum potentiam atq; dignitatem procul remonet, dum Dei dispensatione hoc factum dicit, qui (ut alibi scriptura docet) ante secula condita filium nobis redemptorem destinavit. Quod ipsum postea apud Pilatù non obscure testatur. Cum enim is illi diceret: Nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absolventi te? Respondit Christus: Non haberes potestatem aduerfus me ullam, nisi tibi datum esset superne. Et aliàs frequenter scripturarum meminit, quas in sua morte & resurrectione impleri oporteat, ut ostendat omne hoc ad eterni Dei patrè consilium referri debere. Deinde verò consilij huius causam profert dilectionem Dei gratuitam, qua hic nos nihil tale meritis prosequatur. Et gratuitam quidem dilectionem intelligi debere, singula verba abunde testantur. Nam primò Deum nominat, qui ut summù bonum & omni boni fons est: ita nullius indiget. Quid autem de illo mereare, qui eius officij opus non habet, & ex cuius liberalitate accepisti, quicquid in teipso boni habes? Quid habes (inquit Paulus) quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Deinde dilectione Deo tribuit, eam nimirum ammi inclinatione, qua nos totos in alios quasi effundere cupimus. At cum nihil in nobis sit, cuius causa sic erga nos Deus affectus esse debeat, gratuita sit oportet ista dilectio, qua nos prosequitur. Et hoc quidem clarius exprimit, quando eos nominaturus, quos ita dilexerit Deus, non Abrahami aut Isaacii aut Iacobi, Moysi, Davidis, prophetarum, Mariæ virginis, Apostolorum deniq; & sanctorum martyrum meminit: sed mundi, quem totum in malo iacere Evangelista noster in sua Canonica testatur, & cuius principè esse diabolu, ipse Christus non vno loco affirmat. Quid ergo aliud quam iram, quam suppliciu dirum, quam mortem sempiternam mereri poterat, qui diabolu potius quam Deum principem agnoscere voluit? Quod si dilectionis huius principium quæras, illud quoq; in aeterno Dei consilio reperies, quo filium nobis redemptorem destinavit, cum nulli adhuc essemus. Ut ergo verbas & radices, morborum remedia creavit, priusquam morbi ex peccato enati essent: Ita animarum medicum dedit nondum prolapsis in exitium, quos autem ipse lapsuros prævidebat. Docent hoc disertis verbis Apostoli, quando illi ante secula præordinatù, nos autem priusquam mundus hic crearetur, in illo electos esse scribunt. 1. Pet. 1. Eph. 1. Omne ergo hoc ex gratia factu sit oportet. Adde his quæta fuerit, & quò usq; progressa sit ista dilectio, & multò magis istud fatebere. Nimirum eò usq; ut filiu suum dederit. At quem filium? Unigenitum, & proinde cœternum & sibi cœsentialem, unò (ut ipse pater cœlitus fateatur) dilectissimum. Eum (inquam) NOBIS dedit, qui ex filijs defectores & hostes facti eramus. Dedit autem in mundu hunc, in paupertatem, in ignominiam, in dolores, in mor-
tem deniq;

sem deniq; imò in mortem crucis, qua nihil atrocius, indignius & còrumeliosius excogitari poterat. Confer nunc in vnum omnium hominù opera atq; merita, num quæso illa tanti æstimabimus, vt propter illa Deus ita nos diligere, & filium pro nobis dare debuerit? Hoc cerè nemo cordatus dixerit quia dici non potest, nisi nos & opera nostra in eodem cum filio Dei dignitatis gradu collocemus. Inter meritù enim & id quod promeremur æquipollentia sit oportet. At quis pius non exhorrescat, si homines peccatores, impuros, iniustos, mortales & damnationis reos, Dei filio conferri videat, qui iustitia, sanctitas, vita salusq; est? Sequitur ergo, gratuitam Dei dilectionem hic denotari, vt in eod. diximus. Neq; nos primi sumus, qui ex Christi verbis curiosus a quo excussis sensum istum eliciamus; sed iam olim idem Apostoli factitarunt. Ioannes cerè quasi commentarium in hunc locum scripturus, sic ait: Per hoc patet facta est charitas Dei in nobis, quòd filium illum suum vnigenitum mi-
 1. Ioan. 4. sit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, nò quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum, vt esset propitiatio pro peccatù nostris. En nostram dilectionem prorsus negat Apostolus, vt gratuitam Dei dilectionem asserat. Similia apud Paulum reperies passim, imprimis ad Roman. 3. Ephes. 2. Tit. 2. & cap. Debet autem ista diligenter considerari, eò quòd multiplex ex illis ad nos fructus redire potest. Primò enim euertit his vniuersa nostrorum operum aut meritum fiducia, & docemur salutem ab vnius Dei gratia pendere, nec aliud hic nostris viribus aut dignitati esse eribendum. Potest enim ex hoc loco argumentum firmissimum colligi ad hunc modum: Quicumque salui sunt, per Christum seruentur oportet. Christus autem à patre nobis datus est ex gratia, nullo intercedente operum nostrorum merito. Ergo ex gratia seruamur. Maior, non nostrum signum est, sed Apostolorum sententia est, quam ex spiritus suggestione pronuntiauerunt, cum in Senatu Ierosolymitano fidei suæ doctrinæ ratione redderent. Tunc enim dixerunt, non aliud nomen sub celo hominibus datum esse, in quo nos seruari oporteat, præterquam Iesum Christum. Et consensit illi quòd Christus ait: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Minore ex hisce Christi verbis desumpsimus, qui se ideo datum dicit, quòd Deus mundum dilexerit. Nec est, quòd quisquam se ex mundi & communi hominum consortio eximat, quoad hanc causam. Quia enim omnes in peccato concipimur & nascimur (vt de semetipso David factetur) eadē quoq; & omnium nostrum conditio, & omnibus simul ex aquo pereundum erat, nisi Deo placere aliquos ex corrupta illa humani generis massa seruare, & per filium suum quasi ex communi incendio vel naufragio eripere. Firma ergo stat conclusio nostra, qua salutem nullis hominù meritis, sed solius Dei gratia ascribi debere diximus. Itaq; confutantur huius loci auctoritate omnes, qui operis iustitiam stabilire, & sua merita coram Deo in salutis causa allegare solent: quales olim pharisæi erant, & hodie in papatu sunt Monachi, & quotquot illorum traditionibus sese circumduci patiuntur. Sunt hi inimici gratia Dei, & Christi meritum quantum in ipsis est euacuant, adeoq; qua illis soli debetur gloriam in seipso transferunt. Fit ergo, vt suam iustitiam stabiliendo, à Dei iustitia excidant, quam is in filio suo nobis confert.

Faciunt deinde hæc ad asserendam nostræ salutis certitudinem, quæ nobis constare nequit, nisi salutis nostræ eius fundamentum in Dei gratia constituamus. Quia enim natura peccatores sumus, & iustitiæ nō certitudo, sine instar fordidorum cenonum polluta sunt, perpetuò fluctuent oportet, quicumq; in suis operibus & meritis salutem querunt. Inueniunt enim imperfectionē illam, de qua modo diximus: neq; illā modo inueniunt, sed simul se omnibus modis miseros esse sentiunt, qui quòd bonum est, ex semetipsis ne cogitare quidem, nedum velle aut facere possint. At si ydem in Dei gratiam & Christi Iesu meritum respiciant, mox certam firmamq; salutis suæ fiduciam concipiunt. Illam enim inexhaustā esse vident, quæ nostris iniquitatibus superari non possit: hoc item omnibus numeris absolutū esse sciunt, & proinde sufficere, vt & commissa à nobis peccata expiet, & quòd in nobis deest abunde sarciat. Dicunt itaq; cum Paulo: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò verò qui etiam excruciatu est, qui etiam & ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis, &c. Rom. 8.

Præterea non modò certam salutis fiduciam hæc pariunt, verum etiam in omni tentatione Consolatio in nere misericordè consolantur, ne fides nostra succumbat, qui non penitendus est huius considerationis tentationibus, fructus. Fit enim interdum, vt qui fidei mysteria rectè intelligunt, de Dei tamen gratia & num sine

ex electorū eius numero, dubitare incipiant, quando inopes & egeni oberant, morbis diuturnis conficiuntur, persecutiones assiduas sustinent, aut etiam conscientie stimulis atq; terroribus perpetuis exagitantur. At hic nulla consolatio efficacior est, quam quæ ex Dei dilectione petitur. Cur enim propter afflictiones hæc momentaneas se à Deo desertum putet, qui in Christo dilectionis & gratiæ Dei pignus infallibile sibi datū esse nouit? Aut cur se odio haberi dicat à Deo, eò quòd is carnis nostræ desiderijs non per omnia satisfacit, cum maiora dederit, & quæ omnem carnis sensum longè superant? Quin potius cum Apostolo argumentatur? Qui proprio filio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quò fieri possit, ut non etiā omnia nobis cum eo gratificetur? Item: Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliari seruabimur per vitam ipsius. Rursum, cur hostiū potentia & sauitie offendantur, qui se à Deo diligere intelligit, qui cum Dominus sit exercituum, facile omnia suorum hostium consilia dissipat? Habet enim in promptu illud Davidis: Dominus mihi adiutor, non timebo quid mihi faciat homo. Et illud Pauli: Si Deus nobiscū, quis contra nos? Atqui hinc simul Christiana illa patientia & fidei constantia nascitur, quam nobis scripturæ passim commendant.

Officia eorum, qui per Christi redempti sunt.

Postremo officij quoq; ista nos admonēt, & hic quoq; doctrina multiplex sese offert. Si enim peccata per mortem filij Dei expiari oportuit, patet ex eo, nullam aliam pro his expiationem inueniri potuisse, & proinde ab hac vna nos pendere debere. Deinde cum peccata ita oderit Deus, ut ea filij sui dilecti morte expiari voluerit, nobis quoq; illa exosa esse debēt, neq; blanditijs diaboli admittere debemus, quibus ille nos in peccati laqueos pertrahere conatur. Præterea cū ita nos dilexerit Deus, ut filium suum pro nobis dederit, nostrum est ipsum vicissim diligere, & promptis animis omnia ea obire, quæ ad gloriam eius prouehendam & regnum suum propagandum faciunt. Neq; illum modo amare debemus, sed in illo simul fratres nostros imò vniuersos homines complecti, quorum salutē illi tantopere cordi fuisse cernimus. Admonet de hoc Ioannes, qui cum Dei dilectionem (ut supra diximus) magnifice commendasset, mox infert: Dilecti, si nos ita Deus dilexit, debemus & nos alij alios diligere. Et hæc quidem diligenter obseruarunt sancti patres, propheta item & apostoli, qui ut vite innocentia claruerunt, ita Dei amore sincero incensi, omnia sua & seiplos quoq; pro eius gloria & honore libenter impenderūt, simulq; nullis pepercerūt laboribus, ut alios quoq; homines in veri Dei cognitionem & salutis consortium adducerent. Arguunt ista nostri seculi ingratiudinē & incurabilem malitiam, quando multi quidem Christi nomine & salute per illum acquisita gloriantur, pauci verò sunt, qui sui nominis professioni respondeant. Alij enim circa inanes & ab hominibus superstitiosas excogitatas peccatorum expiationes occupantur. Alij cupiditatibus prauis turpissimè indulgent, & licet inde scandalū ingens enasci videant, quo euangelij doctrina apud multos diffamatur, pergunt tamen, neq; ullis rationibus possunt adduci, ut disciplinæ Christianæ leges admittant. Quòd si charitatem queras, in eius locum auaritiā, emulationem, odium, fraudes & omne genus iniustitiæ subiisse videbis. Dei verò amor adeò extinctus est, ut multos non pudeat palam profiteri, quòd pro Christi & euangelij nomine ne teruncij quidem iacturā facere velint. Indigni profecto, qui salutis per Christum parte beneficio fruuntur. Et hæc quidem deplorare possumus, corrigere autem potest solus Deus, quem precibus assiduis sollicitare debemus, ut sui spiritus ardore frigidās hominum mentes accendat, & renitentes licet in viam reducat.

Confirmatio totius tractationis.

Restat vltima huius loci pars, quæ quod dixit confirmat, & in eo præoccupatione vitur. Poterat enim nos terrere propriæ simul corruptionis & iustitiæ Dei cōsideratio, cum hæc quide peccata punire soleat, illa verò tanta sit, ut non possimus omnino non peccare, quoad in hac carne viuimus. Addit ergo Christus: Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Facetur quidem eam esse conditionem mundi, ut necessarīo perendum sit omnibus, si iudicium suum velit Deus proferre: Sed illum iure suo nondū vti ait, neq; se nunc ad iudicandum, sed ad seruandum venisse. Alij pro iudicandi verbo condemnandi substituerunt. At ego Græci verbi significationē retinendam esse puto: quia plus facit ad salutis nostræ certitudinem. Cur enim condemnationis sententiā timeat, qui ne iudicio quidem se sustendum esse audit? Nam etsi ad Christi tribunal olim omnes sistemur, p̄ij tamen illic non secundū operum suorū merita iudicabimur, sed potius latam de æterna vite hereditate sententiā audiens, ut patet ex Matth. 25. Neq; hoc

hoc eum eo pugnat, quod infra se ad iudicium venisse dicit. Hic enim de proprio suae incarnationis sine loquitur, qui est humani generis redemptio. Infra autem de illis agit, qui vitae beneficium respuunt, & proinde suo vitio pereunt. Illis enim per accidens in iudicium & condemnationem cedit, qui proprie in hoc venit, ut seruet quod perierat. Est autem haec quoque sententia plena dulcissima consolationis, quia iudicij diuini terrores excutere possumus, ut in sequenti sermone dicitur. Nunc obseruamus aliud diuinae bonitatis argumentum, ut ad eius amorem & penitentiae studium excitemur. Est Deus iudex vniuersae terrae, & eius esse iudicium omnis scriptura vbique docet. Sed & diem iudicij vniuersalis iam olim constituit. Priusquam tamen iure suo vreretur in puniendis nostris sceleribus, filium suum dare voluit, qui nobis & penitentiae & remissionis peccatorum auctor esset, sicuti Petrus Acto. 5. testatur. Imò verò ne temporarias quidem penas infligit, nisi per verbum suum praemonitos in viam reuocet. Vide Amos 3. cap. Exempla sunt plurima omnium seculorum, quae bis fidem faciunt, quae cum historiis tam prophanas quam sacras legentibus passim occurrant, ea commemorare non est opus. Sed & hodie hanc Dei bonitatem multuariam experimur. Agnoscimus ergo eius bonitatem, quam in filio suo nobis exhibuit, & verbi eius praedicatione excitati illum fide vera amplectamur, & in eodem renati vitam viuamus Christiano nomine dignam: ut in magno illo vniuersalis iudicij die coram iudice & seruatore nostro, Iesu Christo, consistere, & in eodem vitam consequi possimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

HOMILIA XXI.

Qui credit in eum, non iudicatur: qui uerò non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hoc autem est iudicium, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras quam lucem: erant enim mala eorum opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifesta fiant facta ipsius, quod in Deo sunt facta.

Omnia scriptura salutem in uero Iesu Christo inueniri docet, quem Deus aeterno consilio nobis redemptorē destinari. De hoc enim primae promissiones datae sunt. Hunc typi legales adumbrant, & Moyses deseruit praedicat. De eodem omnes prophetae, quot quot iam inde à Samuele fuerunt, uaticinantur. Neque aliam salutis consequendae rationem post hos omnes Apostoli tradiderunt. Omnium uerò istorum doctrinam ipse Christus summam in hoc colloquio complexus est, quod ipsi cum Nicodemo intercessit. Et primo quidem humani generis corruptissimum statum arguit, & nos renasci uerosimiliter oportere docuit, si regnum Dei ingredi uelimus. Deinde salutem in se uero monstrauit, huius uerò causam non aliam statuit, quam Dei gratiam, qui exitio dignos amore tanto profectus sit, ut filium pro nobis in morte daret. At quia in hoc fere cardo totius negotij versatur, ut intelligamus, qua ratione salutis unicus auctor, Iesus Christus, apprehendi possit, ut eius meritum nobis salutare fiat, de hoc diligenter admodum agit, & sepe repetitis iisdem uerbis fidem nobis commendat, & hanc docet acceptabilem illud esse unicum, quo & ipsum apprehendimus, & eidem in se rimur, ut salutis in illo consortes efficiamur. Facit ad istud caput prima quoque huius loci pars, qua causas exponit, propter quas fidei salus tribuitur. Sequitur hanc colloquij huius conclusio, qua docet, quae fiat, quod non omnes salutem consequantur, cum illam Deus omnibus in Christo communiter offerat. Simul uerò commemoratione praemiorum fidei, & cōminatione poenarum, quae incredulos & obstinatos manent, Nicodemum excitat, ut oblatam salutem fide uera amplectatur. Estque locus hic dignus consideratione diligentissima. Nam & salutis & perditionis humanae fontes aperit, & ita simul luculenter docet, quid nos facere quidque cauere conueniat ut salui fiamus. De singulis ergo ex ordine dicemus.

Quoad primam partem, coheret illa praecedentibus. Dixit enim: Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Quare ergo aliquis: Cum iustus in Christo factus sit, non iustus facit ne in iudicetur.

fit Deus, & uniuersa terra iudex dicatur, quæ ratio erit, ob quam iudicium suum exercere desinat? Item: Esto, iam nunc iudicium suum suspendat aut differat Deus, num verò illud perpetuò faciat? Nequaquam: ita enim eius iustitia in uniuersum intercederet. At nisi perpetuò nobis ille parcat, salus nostra neq, certa neq, perpetua aut stabilis esse poterit, cum nouis quotidie peccatis Dei iudicium contra nos prouocemus, &c. Caterùm omnibus eiusmodi questionibus respondet Christus, & ait: Qui credit in eum, non iudicatur: qui verò non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei. Est autem biniembris sententia ista, & contrariorum anti thesi illustratur, quæ apud Euangelistam hunc nostrum frequens est. Primum membrum ad pios vel credentes pertinet, de quibus sic agit, vt neq, illos peccatores esse neget, neq, Deo iustitiam adimat, & nihilominus tamen illis iudicij metu liberet. Sic enim dicere videtur: Peccant sanè omnes homines, & piorum quoq, iustitia instar sordidorum centonum polluta est. Quòd ergo non damnantur, ex eo fit quòd non iudicantur. Si enim iure suo erga illos vteretur Deus, non possent nõ damnari. Ad iudicium autem ille abstinet, non quòd vel iustus esse desierit, vel quòd ignauus leges & ius suum negligat: sed quòd in illis inuenit fidem, quæ Filium hominis id est promissum humani generis redemptorem amplectuntur. Hic verborum Christi sensus est: in quibus diligenter obseruabis, salutem nostram in eo potissimum consistere, quòd non iudicamur, id est, quòd suum contra nos ius non persequitur Deus. Nam vt modo diximus, cum peccatores simus, peccati verò stipendij sit mors, non possemus exitum effugere, si iudicij sui rigorem Deus proferre vellent. Agnouerunt hoc omnes sancti, quorum ista voces in scripturis leguntur. Ne ambules in ius cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et rursum: Noui quòd non habitee in me, hoc est, in carne mea bonum. Præterea Fuimus nos omnes veluti immundum, & sicut vestis contumum abietorum omnes iustitia nostra. Hæc (inquam) sanctorum voces sunt, cum quibus si eos conueras, qui se iustos esse proficiuntur, & iustitias suas alijs diuendunt, dum opera supererogationis iactant, mox parebit, ex cuius suggestione illi loquantur: ex eius nimirum, qui olim dixit: In celum eunscenda, super astra Dei exaltabo solij meum, & similis ero Altissimo, &c. Discant pij humiliari subpotenti manu Dei, & salutem suam huius gratiæ acceptam ferant, qui iudicio suo contra illos nõ vtiunt.

Propter Christum nobis parcat Deus.

Deinde obseruabis quoq, cuius gratia nobis parcat Deus, ne suum in nos ius exerccat. Nimirum propter Christum, qui causam nostram in se transtulit, & diuinæ iustitiæ pro nobis satisfecit. Eadem ergo nostra est conditio, quæ obierati alicuius, quem secundum leges vel ad seruitutem vel ad perpetuos carceres, vel ad tritremes damnatum, fideiussoris liberalitas interueniens liberat. Vt enim hic Legum & iuris rigorem euadit, quamuis ipse res alienum dissoluere non possit: ita nos æternæ damnationis sententiam effugimus, licet nullam in nobis ipsis iustitiam inueniamus, quæ Dei iudicio possit satisfacere. At quid (inquis) ad nos pertinet Christi iustitia? Nõ ideo nos liberari & seruari aequum est, quia ille iustus & sanctus est? Maxime, idq, propter fidem, quæ ita ipsum apprehendimus & ita ipsi unimur, vt ille in nobis sit, & nos in illo simus: adeoq, vt ille nostras infirmitates in se traheret & suas facere voluit: ita vicissim per fidem totus noster fit, nostra deniq, sit illius obedientia, illius innocentia, illius iustitia, sanctitas & satisfactio. Rectè ergo in presenti dicit ille: Qui credit in filium Dei, non iudicatur. Cui illud Apostoli consentit: Nulla condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. Rom. 8. Quomodo enim condemnationis sententiam subirent, quos à iudicio Christus (summus ille & vnicus iudex) prorsus eximit? Hinc autem suum illud dogma deriuauerunt Apostoli, quo nos fide iustificari docent. Iustificandi enim verbo vtiuntur Hebræorum more, quibus illud idem est, quòd iustum pronunciare aut absolueri eum, qui reus agebatur. At quia hoc nobis obtingit ex fide, quæ Christum apprehendimus, rectè etiam fidei iustificatio tribuitur. Faciunt autem ista ad offerendam salutem nostram certitudinem, de qua dubitare non possumus, cum iudicium, quòd nostris capitibus imminebat, Christus sustulerit. Illam verò vehementer labefactant & euertunt, quicumq, iustificationem suorum operum meritis, suis item satisfactionibus, Paparum indulgentijs, purgatorij ardentibus, Missis & alijs eius generis ceremonijs tribuunt. Quid enim est inter hæc omnia, quòd Deum

Qui non credunt, iudicio dæmonis subiacent.

vel placare, vel cohibere possit, quò minus sui iudicij rigore aduersum nos vtiatur? Porro ad horum confirmationem facit alterum membrum, quòd subiicit: Qui verò non credit, iam iudicatus est. Emphaticè hoc dicit, quò magis terreat incredulos, & simul scandalo medetur, quòd

quod ex latris impiorum successibus exoritur. Frequenter enim fit, ut infirmiores in fide de Dei ira & iudicio iusto dubitent, quando Christi contemptores & apertos hostes feliciter agere vident, ipsis interea perpetuo sub cruce laborantibus. Vult ergo dicere: Non offendat te huius seculi splendor, & qua impijs arridet fortuna. Nam ut hic res illorum habeant, tamen iam nunc iudicati & exitio sempiterno destinati sunt: & ut in me credentes iam nunc filiorum loco habet Deus, licet eos interdum vix conspectu suo dignari videatur: ita iam olim idem ille contra meos hostes sententiam protulit, quam suo tempore executio dira sequetur. Dependet autem ex priori membro huius sententiae veritas. Quia enim sola fides nos tuetur & liberat quod minus iudicemur, iudicium illud omnino subeant oportet, quicumque à fide sunt alieni. At quia carni durum videtur tot simul eruditos, divites, nobiles, tam multos deniq; omnis loci & ordinis homines vna sententia damnare, causam subiicit: Quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei, id est non talem agnoscere voluit unigenitum Dei filium, qualis nomine suo predicatur, Regem videlicet, sacerdotem, servatorem, mediatorum & advocatum humani generis. Facit autem ad amplificationem sceleris, quod non contentus filium Dei dixisse, insuper unigenitum dicit. Ut enim Dei charitas in eo elucet, quod quem unicum habebat filium pro nobis tradidit: sic detestabilis sit oportet illorum ingratitude, qui tantum beneficium non agnoscunt, & ipsum Dei filium aspernantur. Ut ergo prius fidei iustificationis & salutis gloriam tribuit: ita hic incredulitatem exitij & mortis aeternae causam esse docet. Nam etsi peccata omnia mortem mereantur, illis tamen fides medetur, qua fit, ut Christo insitis non impudentur. Si qui verò peccatis, quibus mortem aeternam meruerunt, incredulitatem adijciunt, qua Dei filium excludunt: ij certe simul salutis viam sibi ipsis praecidunt, adeoq; se ipsos in perpetuo reatu derinent. Accedit huic improbitati impudentia execrabilis, qua Deum ipsum (ut Ioannes loquitur) mendacij insimulant, dum eum nolunt amplecti, in quo ipse nobis peccatorum remissionem & vitam aeternam pollicetur. Denique eorum similes sunt isti homines, qui cum ipsi ex alienum, quod contraxerunt, dissolvere non possint, neminem tamen admittere volunt, qui illud in sese transferat, aut pro ipsis fideiubeat. Vel potius seditiosos imitantur, qui non contenti pacem & leges publicas violasse, insuper oblatam sibi à suo principe gratiam contemnunt, & legatos eius ignominiose rejiciunt. Vides ergo non iniuria damnationis poenam illis à Deo constitui, qui filium eius fide amplecti dedignantur. Hi enim & Dei veritatem in dubium vocant, & meritum filij Dei contumeliose aspernantur, & insuper scelerum suorum reatu liberari nolunt. Et cum olim qui Moysi legem abiecerant, abique misericordia ex duorum aut trium testiu ore occiderentur: quis non atrocioribus supplicijs dignos censeat, qui filium Dei conculcare, & sanguinem foederis, per quem sanctificati fuerunt, prophanum ducere, & spiritum gratiae contumelia afficere audent? Vide Hebr. 10.

Sed ad Christum redeamus, qui quod dixit, clarius illustrat, & simul duo docet, quae nisi probe cognita sint, hominum mentes plurimum turbare consueverunt. Primum, non nimij rigoris accusandum esse Deum, etsi omnes incredulos aeterno exitio mulctet. Alteru, homines suo vitio sibi ipsis interitum accersere, neq; hic Dei morositatem accusari debere. Summa omnium est, Deum suum officium facere, nec aliquid eorum intermittere, quae ad nostram salutem faciunt: eam verò esse hominum malitiam & ingenij perueritatem, ut oblatam sibi salutem improbe respiciant: Ergo in ipsis haerere causam perditionis, neque Deum rigoris aut morositatis nimiae debere insimulari. Continent ergo Christi verba commentarium seu explicationem generatorem prophetici illius dicti, quod apud Hoseam Cap. 13. habetur: Perditio ex te est Israel, ex me autem salus tua. Et primò quidem summam rem omnem comprehendit, dicens: Hoc autem est iudicium, id est cōdemnatio, vel etiam causa, ob quam Deus iusto iudicio homines damnat: Quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras quam lucem, &c. Lucem vocat seipsum & quam nobis ille offert veritatis cognitionem, qua mundus illuminatur. Haec (inquit) venit in mundum, missa nimirum ex gratia, non quaesita neq; parva hominum labore aut studio. Rursum tenebras dicit ignorantiam Dei, & quae ex ista proueniunt superstitiones atq; peccandi licentiam. Et lucem cum tenebris confert, ut hominum inexcusabilem improbitatem arguat, qui in his potius errare & perire quam in illa seruari voluerint. Quò & cause reddidit pertinere, quam subiicit: Erant enim opera eorum mala. Docet enim hoc illis non aliqua fatali necessitate accidisse, quae eos astrinxerit: sed quòd ita voluerint ipsi, prauis & cor-

Homines ipsos
sibi esse exitij
autores.

ruptis suis studijs eò impuls. Et mox hoc ipsum generali sententia confirmat. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguatur opera ipsius: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, &c. Sumitur hæc ex communi experientia, & pulchrè exprimit electorum simul atq; reproborum ingenium & mores, ex quibus utrūq; hoc hominū genus dignoscas. Hi enim cum toti carnales sint, peruersè & subdolè agunt omnia, dū & carni indulgere, & simul pro bonis & iustis haberi volunt. Illi verò, quia Dei spiritu aguntur, & sibiipsis bene sunt conscijs, aperte & ingenue omnia faciunt, neq; eos illorum pudet, quæ in Deo, id est secundum Dei voluntatem ab ipsis fiunt. Quod si quando ex imata carnis infirmitate exorbitant, culpam agnoscunt atq; fatentur, & ne tunc quidem lucem subterfugiunt, sed querunt potius, ut & ipsi errores suos corrigere, & alios in viam reducere possint, quos suo exemplo prius offenderunt. Hinc fit, ut hi quidem in luce per Christum nobis affulgente seruentur; illi verò in suis tenebris malè pereant. Cōfirmantur hæc omnium seculorum exemplis, quæ abunde docent, hanc semper omnibus reprobis suæ perditionis causam fuisse. Noluerūt lucem admittere Iudæi, ne traditionum absurditas & hypocrisis ipsorum manifestaretur. Eandem ob causam gentes quoq; illam reiecerunt, quod nec suam sapientiam stulticia, neq; suas superstitiones erroris atq; mendacij convinci, neq; effrenas suas libidines publicè corripiri voluerūt. Eadem ratio Machometem mouit, ut suis sectatoribus disputationes de religione prohiberet, eò quod videret leges suas in veritatis luce consistere non posse. Cuius exemplum secuti Pontifices Romani, libros sacros laicis eripuerunt, linguam peregrinam in ecclesiam induxerunt, & sibi solos omne iudicium de doctrina vendicarunt, quod penes ecclesiam esse voluit Apostolus. 1. Cor. 14. Quin bodie hoc potissimum argumento sese tuentur aduersarij nostri, quod Romanam sedem ab omni censura & examine excimunt, neque se teneri aiunt, ut prophetis laicis suæ doctrina rationem reddant. Qua in re Alcibiadis consilium sequi videntur, qui cum puer adhuc ad Periclem auunculum suum venisset, eumq; solito tristiore vidisset, eum quid cristas esset interrogauit. At illo dicente, se in propheta Minerva ediscendis ingenij pecunie vim consumpsisse, nec inuenire quo pacto magistratibus ministerij sui rationem reddat, respondit Alcibiades: Ergo quære potius, quomodo rationem non reddas. Ita illi, cum sine ratione omni ecclesie thesauros tam spirituales quam temporarios dissiparint, consilia sua omnia in eum finem coniungunt, ne sui ministerij rationem reddere cogantur. Vtque Pericles Alcibiadis consilium secutus, belli auctor fuit Atheniensibus, ne rationibus exigendis vacare possent: Ita isti non semel orbem Christianum bellis civilibus implicuerunt, ut interea suam tyrannidem stabilirent. Quod si eos examinemus, qui carnis studio addicti religionem suam de se faciunt, quia tamen iidem mores suos turpissimos & infanda scelera studiose calant, ipsi quoque veritatis lucem extinguam volunt. Perpetuis ergo persecutionibus exercetur ecclesia, in qua lux ista salutaris fulget, & nimis stulti aut ridiculi sunt, qui pacem sibiipsis pollicentur, aut euangelij doctrinam ita proponi posse putant, ut mundo probari possit, aut saltem tolerabilis videri. Nec enim hic unquam suum ingenium exuet, & semper mala erunt eius opera. At quoad talis fuerit, veritatis lucem odio habebit, & ad huius prædicationem tumultuabitur, ut (quod olim Catilina dicebat) incendium illud, si non alia ratione potest fieri, ruina extinguat. Porro hic nos consoletur, quod nequicquam isti omnes insanunt. Ut enim orientis Solis splendorem nemo impedire potest, quò minus terram totam illustrer: Ita diuina hæc lux nullis hominum consilij aut machinationibus detinetur, quò minus mundo sese inferat, & tenebras huius suo fulgore discurtiat. Oritur autem impijs istis in condemnationem, & inexcusabiles reddit eos, qui sub ignorantia prætextu latere cupiunt. Caterum meminimus ista à Christo in eum finem proponi, ut Nicodemus excitetur, ne collegarum exemplo deceptus lucem hanc subterfugere pergeret. Idem ergo nobis quoque istius loci vsus sit, & cum bodie lucem istam nobis accenderit Deus, depositis operibus tenebrarum, ut filij lucis ambulemus in omni bonitate, iustitia & veritate. Quod cum faciemus, si probauerimus quæ Deo accepta sunt, neque commercium habuerimus cum operibus infrugiferis tenebrarū, sed ea potius arguerimus. Vide Ephos. 5. Et hæc quidem dicta sint in celeberrimum & salutare Iesu Christi cum Nicodemo colloquium. Didicimus ex eo, quanta sit nature humane corruptio, & quod totius hominis regenerationis opus sit. Huius auctorem indicauit spiritum sanctum, qui nos ex semine verbi Dei renatos totos mutat & inuouat. Præterea salutis fontem nobis in gratuito Dei amore aperuit, qui filium pro nobis in

mortem

mortem tradidit, ut eius merito redimeremur. Hunc quotquot fide vera apprehendant, in illo ser-
uantur: pereunt autem & damnantur merito in tenebris suis, quicumque lucem istam salutarem sus-
cipiunt, ut operibus prauis indulgere possint. Oremus itaque Deum patrem misericordiae, ut ex verbi
sui semine renatos lucis istius amore incendat, gressusque nostros dirigat, ut vere filij lucis vitam vi-
uamus nostra professione dignam, & olim regni eius caelestis heredes efficiamur cum filio suo unigeni-
to, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

HOMILIA XXII.

Postea uenit Iesus & discipuli eius in Iudaeæ territorium, & illic uer-
sabat cum ipsis, ac baptizabat. Baptizabat autem & Ioannes in Ae-
non prope Salim: quia aquae multae erant illic: & ueniebant ac baptiza-
bantur. Nondum enim coeuctus fuerat Ioannes in custodiam. Orta est
igitur quaestio ex discipulis Ioannis cum Iudaeis de purgatione. Et ue-
nerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iorda-
nem, cui tu testimoniū dedisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad
eum. Respondit Ioannes, & dixit: Homo non potest recipere quicquā,
nisi fuerit ei datum à caelo. Vos ipsi mihi testes estis, quod dixerim:
Non sum ego ille Christus, sed missus sum ante eum.

Adiuimus hucusque Seruatoris nostri Iesu Christi cum Nicodemo colloquū, quo uniuersa
nostra redemptionis & salutis ratio continetur. Docuit enim quae sit nostra natura corruptio,
unde medicina debeat peti, & ut hanc ex gratuito amore Deus nobis in filio suo offerat, qui fide ve-
ra apprehensus vitam aeternam nobis largiatur. At quia in his tradendis Deus, propter nostri inge-
nij tarditatem, non uerbo tantum, uerum etiam ceremonijs sacris & externis signis uirtutem, circa quae
multuariam peccatur, dum alij ea improbe contemnunt, alij isdem superstitiose inherunt, quasi sa-
lus ex illis in nos deriuetur: subiicit nunc Euangelista ordine comodissimo nouam disputationem, quae
inter Ioannis discipulos & Iudeos quosdam de Baptismo exorta fuit. Cum enim causam hanc ad
magistrum suum Ioannis discipuli retulissent, ita ille de seipso & ministerio suo disseruit, ut non ob-
scure doceret, quo in loco externa haec haberi debeant, simulque nouum de Christo testimonium tulit,
cuius summa est, illum uerum esse Dei filium, & huic soli omnē deberi nostrae salutis gloriam. Fuit
hoc postremum Ioannis testimonium, quod paulo antequam in carcerem conijceretur, Christo dedit,
ut suo loco diceretur. Nunc loci modo recitati partes singulas inspiciemus.

Premittitur disputationis aut tractationis totius occasio, quae fuit eiusmodi: Iesus Christus, cum
rotum pasche festum Hierosolyma transisset, postea in agrum urbi finitimum exiit, & illic cum
discipulis suis aliquandiu conuorsatus est: neque otiosus ibi latuit, sed (ut ex alijs locis apparet)
publicè docuit simul atque baptizauit. Et ipse quidem baptizauisse dicitur, non quod suis manibus
ille quenuquam tinxerit (hoc enim cap. 4. disertè Ioannes negat) sed quod illud ex eius mandato fa-
cerent discipuli. At dum ista in Iudaea fiunt, simul in Enon (qui Galilaeae locus fuit, non procul à La-
bocostio, ubi is Iordanem ingreditur) baptizat adhuc Ioannes. Duobus ergo simul eandem doctri-
nam tradentibus & idem sacramentum administrantibus, uulgus pro suo more in studia contra-
scinditur, & alij quidem ad Christum, alij ad Ioannem confluunt, plures tamen ad Christum trahit
miraculorum fama, quibus ille suam doctrinam confirmabat. Ferunt hoc indignè Ioannis discipuli,
& stulta emulatione excitati, contra Iudeos disputationem de Purgatione, id est, de Baptismo,
qui purgationis interna symbolum erat, instituunt. Et uidentur plerique baptismum Christi ba-
ptismo Ioannis praestantiorē duxisse: quae causa fuit, ut discipuli rem hanc omnem ad Ioannem
referrent. Haec sequentis tractationis de Christo fuit occasio, in qua personas singulas diligentius in-
spexisse proderit.

Occasio sequen-
tis tractatio-
nis.

Christus reli-
cta urbe in a-
gro docet &
baptizat.

Primus ex his prodiit Christus, qui relicta Hierosolyma in agrum exiit, & illic suo officio sum-
gitur. Voluit quidem primò in urbe sese manifestare, ut in magna populi frequentia plures attrabe-
baptizat.

ret: sed quia plerumque in urbe hypocritas, supersticiosos, adhaec arrogantes & incurabiles inuenit, illi relictis aliò commigrat. Fuit hoc quasi praeludium futurae calamitatis atque repudij, quod urbs ista propter suam contumaciam paulò post passura erat: quo simul docemur, quid omnibus seculis eos maneat, qui Ierosolymitanorum ingratitude & pernicitatem imitantur. Quoad verò officij Christi, illum docuisse & baptizauisse diximus. Constat enim ecclesiae ministerium, quo ille quàm fidelissimè functus est, duabus potissimum partibus, Doctrina & Sacramentorum administratione. Doctrina formam ipse Christus exemplo suo tradidit, & disertis quoque verbis praescripsit, quando in suo nomine predicare iussit poenitentiam & remissionem peccatorum. Idem Sacramenta siue actiones sacras & mysticas ecclesiae duas mandauit, Baptismum & Cenam Eucharisticam, de quarum institutione & usu alibi diximus. Sufficiat nunc annotauisse, haec esse verae ecclesiae exercitia, neque audiendos esse, qui illam nouis ceremonijs & ex suo cerebro confictis onerare conantur. Poterunt ista vetera olim sufficere, nec tantum iuris in ecclesiam sibi vendicauerunt Apostoli, ut nouum quid ipsi inueherent. Poterunt ergo haec nobis etiam sufficere; nec alicui permittendum est, ut plus in ecclesia iuris habeat, quàm Apostolis sit datum. Obseruabis praeterea, quòd ipse Christus baptizauisse dicitur, cum hoc ex illius praescripto discipuli fecerint. Ergo ad Christum autorem referri debet, quòd quid illius auspicijs & secundum eius praecipitum sit in ecclesia. Idem ille igitur etiam hodie Euangelium predicat, baptizat, panem & potum mysticum distribuit: quòd iuxta illius institutum ministri docent, baptismum & Cenam administrant. Facit hoc ad Sacramentorum commendationem contra eos, qui illa quasi hominum figmenta contemnunt & negligunt. Praeterea Anabaptistarum furor confutat, qui in solos ministros intenti, mox ut in illis aliquid vitij deprehendunt, ab ecclesia secessionem faciunt, & alij quoque schismatis nocentissimi fiunt auctores. Quid verò idem facturi erant, si illo tempore vixissent, quando discipuli baptizauerunt, quos mysteriorum Christi & regni eius rudes & prorsus ignaros fuisse constat, cum ista facta sunt, de quibus hic agitur? Sunt quidem in ordinem tradendi ministri, si quid praeter officium faciant. At simul tenendum est, doctrinae & Sacramentorum dignitatem, non ab illorum personis, sed à Christi institutione pendere, quae si nobis salua maneat, nihil illa cum fide usurpantibus officere poterit quae in ministris inuenitur imperfectio.

Ioannes non
definit docere,
etsi Christus
ipse doceat.

Sequitur Christum Ioannes, qui & ipse pergit officium facere, etsi Christum docere & baptizare non ignoraret. At qui magnam habebat occasionem discendendi à ministerio, ne arrogans videretur, qui ipsum Dei filium aequare, aut saltem iuuare vellet. Sed non deserit sibi commissam prouinciam, quoad metam se nondum attigisse videt. At quae eius meta fuit? Carcer, in quem paulò post coniectus est, & qui ei publice docendi facultatem eripuit. Imò ne tunc quidem cessauit in officio, sed Herodem frequenter admonuit, & discipulos ad Christum misit, ut Matth. 11. habetur. Imitentur exemplum hoc, quicumque in aliquo publico officio agunt, neq. stationem suam deserat quoad aliquam habent exequendi sui muneris occasionem. Nam non nostri iuris est, ut ipsi nobis serias indicamus. Sed ne mundi huius ingratitude aut persecutionibus nos absterri conuenit: cum non mundi, sed Dei seruis simus, qui remunerator fidelis est, & nobis in calis mercedem reposuit, &c.

Iudeorum &
discipulorum
Ioannis con-
trouersia.

Tertio Ioannis discipuli simul & Iudei considerandi veniunt. Docent simul Christus & Ioannes, & uterque suos sectatores baptismo tingit, vnus denique & idem vtrique finis propositus est, cum sibi quidem discipulos quaerat Christus, ad hunc verò suos auditores Ioannes remittat. Interim sententij scinduntur Ioannis discipuli & Iudei, & rixas seu contentiones superuacuas & scandalis plenas instituunt. Nam de purgatione disputant, & Ioannis quidem discipuli hanc in sui magistri baptismo quaerere docent, alij verò aut in legalibus purificationibus eam constituant, aut Christi baptismum Ioannis longè praefendum esse contendunt. Vnde autem ista animorum dissensio? Ex eo nimirum, quòd ab hominum auctoritate & externis ritibus toti penderent, rem verò ipsam minus attentè considerarent, de qua hic agebatur. Nam si illam probe inspexissent, contentione nequaquam fuisset opus, cum & Moses & Ioannes de Christo testimonij ferant, & in hoc vno monstrant quaecumque ad animorum purificationem & totius hominis salutem faciunt. Solent ex eodem fonte etiam hodie contentiones nasci, quibus facile finis inueniri posset, si positus affectibus rem ipsam omentes serio expenderent. Sed est hoc mundi ingenium, ut de externis contendat, negligat autem interna & spiritalia, sine quibus salus nostra consistere non potest. Caterum obseruati dignissimum est,

Ioannes

Ioannis discipulos primos fuisse huius disputationis auctores. Atqui ignaros rerum propè omnium & ineptissimos fuisse constat ex multis locis, maxime ex Ioannis oratione, qua nos illorum stultitiam & contumaciam arguet. At ita fieri solet in ecclesia, ut qui omnium sunt indoctissimi, omnibus se contemendi materiam præbeant. Nihil enim inscitia audacius est, (ut Cyrillus ait) nullum tam turpe facinus est, quod imperitia non audeat aggredi. Exemplum huius generis hodie passim extant: & ut isti sua inscitia tam Christi quam Ioannis causam Iudeorum ludibrio exposuerunt: ita multi nostro seculo indocti & inepti suis altercationibus communem religionis & fidei causam apertis hostibus deridendam propinant. Admonet præterea exemplum hoc, ne offendamur, si quando inter eiusdem fidei professores dissidia exoriantur. Nec enim nouum & insolens hoc videri debet, cum Ioannis discipulos cum Christi fautoribus initio statim commissos fuisse videamus. Et permittit frequenter ista fieri Deus, cum ne quid ex conspiratione fieri putetur in religionis causa, tum ut maiori diligentia inuestigetur veritas, quam multi ignauè negligunt, dum eius prædicatione in otio & pace frui possunt. In præsentem certè contentio ista Ioanni testimonium de Christo extorsit, quo vix vllum in scripturis habetur luculentius, & quo etiam hodie supersticiosi illi Diuorum admiratores, vel cultores potius, validissimè confutantur. Sic in primitiua ecclesia contentionem de iustitia legis & fidei incidere plurimum profuit: quia sine illa non tanta fuisset Apostolis occasio disputandi contra Legem, cui plerique nimium tribuebant. Est hoc nobis hodie cogitandum. Offenduntur multi disputationibus contentiosis, que inter euangelicæ doctrinæ instauratores nostro seculo de Cæna Domini exortæ sunt. At si cogitemus, quàm crassis erroribus hoc mysterium obscuratum, & quantæ Dei illius Maxximæ autoritas in Papatu fuerit: mox patebit nõ sine numine fieri, ut magnorum hominum ingenia committantur, ut ea occasione huius articuli veritas diligentius enucleata multorum animos superstitionibus liberet, quas aliqui nunquam relicтури essent. Et sanè non habent aduersarij quod de nostris pugnis gaudeant, quando illis ipsa fundamenta Papatus reteguntur, & multi per eas ad plenioris veritatis cognitionem veniunt, qui alias in primis initijs, seu in obscuro crepusculo, subsisterent. Quod ipsum in præsentem quoque concertatione factum fuisse, sequentia docebunt.

Cum enim Ioannis discipuli in disputatione abs se mota succumberent, causam omnem ad suum præceptorem referunt, & non sine amarulentia magna verborum de Christo quiritantur, & hunc Ioannis discipuli Christum accusant. Quasi is præcipuus sit huius confusionis auctor, eò quod ipse etiam baptizare & discipulos sibi facere cõperit. Dicunt enim: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium dedisti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum. Habent hæc verba singula suos aculeos. Primò Christum non dignantur nominare, sed inuidiose nimis illum describunt, quod magnæ indignationis argumentum est. Nam qui erat tecum (aiunt) trans Iordanem, & cui tu testimonium dedisti honorificum. Quasi diceret: Qui ad te venit, ut abs te baptizaretur, & qui in tuam amicitiam sese insinuando testimonium eiusmodi ex te elicit: qui demique quicquid est ex tuo beneficio est, cui istam auctoritatem ipse conciliauisti. Deinde addunt: Ecce is baptizat, id est, tuam provinciam inuadit, & tibi commissam functionem ad se rapit. Præterea ea est vulgi ingratitude & leuitas, ut omnes te relicto ad illum confluant. Quis verò horum omnium scopus est alius, quàm quod ipsum Ioannem contra Christum in certamen abriperere cupiunt? Causa autem omnis mali est, quod Ioannem putarent Messiam esse, & stulto zelo eius gloriam defendere volunt contra Christum, quem indies celebriorem fieri videbant. Quo exemplo docemur, quàm noxium sit, à ministrorum auctoritate pendere, & illis plus tribuere quàm Deus iussit. Hic enim error in causa fuit istis, ut ex Ioannis doctrina fructum quasi nullum perciperint, imò eius auctoritate impediti sint, qui totus in hoc erat, ut solus Christus emereret. Nec enim vident confessionem, qua inter Christum & Ioannem summa erat, & proinde schismatis causam in eo quarunt, quod artificissima confessionis seminarium esse debebat. Simile quid in Corinthiorum ecclesia contigit. Eundem Christum prædicabant Paulus, Cephas sive Petrus & Apollo, neque vlla erat inter illos dissidij species. Propter illos tamen in sectas scinduntur Corinthij, dum quisque suum doctorem reliquis præfert. Et ut hæc omnibus ferè seculis sectarum fuit causa in ecclesia: ita inter priuatos quoque homines, imò in republica etiam hinc emulaciones, dissidia, rivalitas & schismata oriuntur, quod inepti & suo cõmodo nimium addicti homines aliquos præ alijs sus-

Ioannis discipuli
Christum accusant.

spiciunt, pro illorum gloria odiose contendunt, & tam sibiipsis quam illis decedere arbitrantur quibus quid alijs accidere vident. Discant ergo singuli ministros in suo ordine collocare, & tales agnoscere, quales à Deo facti sunt, dispensatores videlicet mysteriorum Dei, per quos credidimus, quantum unicuique Dominus dedit. Deinde doctrinam inspicimus, quatenus illa cum verbo Dei conveniat. In externis verò cogitemus nobis ex commodis aliorum nihil incommodi posse accidere. Est enim Deus dives in omnes, & ut Solem, aquam, aerem omnibus sufficere videmus: ita Deus unus sufficit omnibus, & ex sua bonitatis thesauro omnibus largitur, quantum cuius opus esse vider.

Ioannes discipulorum opinionem de seipso confutat.

Ceterum Ioannem audiamus, qui discipulis suis graviter respondet. Primo enim falso concepitam de se illorum opinionem confutat. Deinde de Christo magnifice pronunciat, & quid in illis nobis datum sit docet. Postremo modum & rationem indicat, qua illum apprehendimus, ut ipsius & honorum eius consortes efficiamur, Primam partem orditur à generali sententia: Homo non potest recipere quicquam, nisi fuerit ei datum è caelo. Hoc autem dicendo illos ad Dei providentiam remittit, qui dona sua pro suo arbitrio iuste & bene distribuat: simulque docet, zelum ipsorum non inutilem modo esse, verum etiam in manifestam impietatem degeneraturum esse, si in eo pergant. Quasi diceret: Cum Deus pro suo nutu hac omnia dispense, vos quantumvis labores, me tamen nunquam poteritis maiorem facere quam Deus velit: Et vicissim nihil etiam Christo detrabere poteritis ex ea gloria, qua ille eum coronare decrevit: Impij autem & Dei hostes fueritis si illud conemini, &c. Est sententia hac omni auro & gemmis pretiosior, & propter multiplicem doctrinam digna, quam dies & noctes memori mente versemus. Primo enim nostrae inopia & egrestatis nos admonet. Si enim nihil possumus recipere, nisi è caelo datum fuerit, ex nobis ipsis nihil habeamus oportet, quod vel ad hanc vitam tuendam, vel ad aeternam, consequendam faciat. Quod quam verè dicatur, facile patet, si omnia bona cum corporis tum animi & fortunae consideres. Quis enim ad staturam corporis sui vel latum unguem adijcere, vel pilum aliquem mutare potest? quis fruges creare? quis ex morbo seipsum pro suo arbitrio liberare? In externis eadem est ratio, cum honores & opes, non prout nos volumus, affluant aut discedant, sed prout Domino videntur. In ijs verò quae ad animum spectant, adeo nihil habemus ex nobis ipsis, ut animalis homo ne percipere quidem possit quae sunt spiritus Dei. Omnium ergo egeni sumus, & proinde necessario mendicorum instar quotidie clamamus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et haec est nostra nobilitas, haec nostrae divitiae, inter quas multi suae conditionis profusus immemores, tam insolenter superbiunt. Docet deinde sententia hac, ut in donis omnibus, quae vel in nobis sunt, vel qua in alijs conspiciuntur, largitorem agnoscamus Deum, & huic gloriam omnem tribuamus. Ad haec solatur nos eadem, ne eorum zelo aut invidia offendamur, qui nobis male volunt. Nihil enim isti nobis eripient eorum, quae Deus dare voluerit. Et passim exempla sunt eorum, qui ad opes & honores summos inuitis omnibus eluctati sunt, quando sic Domino placebat, ut praclaris & potentibus fierent: in quorum numero David & Cyrus, & ex profanis historijs Hercules, Romulus, & infiniti alij recenseri possunt. Unde rectè olim Theologus dicebat: *δὲς δ' ἰδ' ἀπ' αὐτοῦ, εὐδὲν ἰσχυρὸς πλοῦτος*. Id est: Deo dante, nihil potest invidia: Et Deo non dante, nihil potest labor. Praeterea officij hoc ipsum nos admonet, ne praecipiti vel opum vel honorum cupiditate, Dei dispensationem antevertere conemur, sed in illum reiecta cura omni, ipsius decretum expectemus. Sunt enim exempla ecclesiastica & politica, quae satis docent, quam infelix ferè sit eorum exitus, qui non expectata Dei vocatione ad dignitates & imperium aspirant. Nam etsi per illos interdum punit Deus ingratitude mundi, idem tamen de illis quae tandem poenas sumit, ubi illorum improbitate ad suos coercendos bene usus est. Postremo excitat nos huius sententiae consideratio, ut à Deo acceptis donis rectè utamur cum gratiarum actione, ad sui nominis gloriam & ecclesiae suae edificationem. Qui enim in hoc vel ingrati vel ignavi sunt, hos donis suis spoliatos in tenebras exteriores abijcit, sicuti in talentorum parabola Christus docet, Matth. 25.

Ioannis de suo ministerio testimonium.

Sed redeamus ad Ioannem, qui proprio ipsorum testimonio ineptum & ambitiosum discipulorum zelum confutat. Vos ipsi (inquit) mibi testes estis, quod dixerim: Non sum ego ille Christus, sed missus sum ante eum: ut nimirum apparitoris aut praecursoris instar ipsi inferirent. Nullum ergo ex nobis habetis

habetis aduersus quenquam contendendi occasionem, cum honorem Messia nunquam affectarim, sed illum comendaram, cui honor iste omnis debetur. Elucet hic iterum Ioannis fides & integritas, quam illi cum omnibus sanctis comunem esse alibi diximus, qui omnes hoc unum pro alijs curant, ut suus Christo honor saluus & integer maneat. Rursum apparet, quam difficile sit semel conceptos errores deponere, quando toties admoniti Ioannis discipuli, adhuc tamen Christum inique amulantur, & sui preceptoris gloriam cum illius ignominia assertam volunt. Sunt horum similes, qui hodie in clarissima Euangelij luce pro Diuis aduocatis & mediatoribus, proq; illorum inuocatione honeste contendunt. Ceterum quia de his alijs dictum est, & ipse Ioannes in sequentibus pleniorrem sui dicti declarationem subiiciet, ista modo sufficiant. Nos in vno Christo Iesu quaeramus salutem omnem, & ab Ioanne, prophetis & Apostolis predicatum fide vera amplexemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in eternum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me uero minui. Qui supernè uenit, supra omnes est: qui ex terra est, terrenus est, & ex terra loquitur.

Quoniam Ioannes Baptista discipulos suos sibi nimium addictos esse, & stulto zelo Iesum Christum infectari uidebat, cuius gloria indies magis & magis illustrabatur: magno studio & diligenti hunc illorum errorem oppugnat atq; confutat. Et primo quidem de seipso agit, docens qualem ipsum agnoscere debeant. Diserte uero se Christum id est, promissum humani generis redemptorem esse negat, huius autem praeambulationem se esse dicit, qui ut uiam illi praearet, à Deo missus sit. Hoc autem dicendo procul abs se remouet Messiae officia, qualia sunt peccata remittere, ex morte liberare, uitam conferre, & quae alia sunt huius generis. At si ista non locum habuerunt in Ioanne, quo nemo sanctior est inter natos mulierum, satis apparet, haec ipsa apud neminem alium queri debere, sed uni Iesu Christo omnem nostrae salutis gloriam esse transcribendam. Sequitur praesens locus, in quo primum eleganti simili illustrat quod dixit. Deinde ad alterum suae tractationis caput transit, docens quis Christus sit, & quantum ille omnes homines excellat.

Prima pars similitudinem habet à nuptijs petitam. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Habet autem similitudo haec partes duas, quas perspicuitatis ergo distinguere oportet. Prima est: Quem admodum sponsus est, qui sponsam habet, & eadem illi soli debetur: Ita ecclesiae sponsus non alius censeretur, quam cui sponsam hanc Deus desponit, Filius nimirum ille unigenitus, Iesus Christus. Eadem ergo huic uni & soli debetur, & proinde merito omnes ad illum confluunt. Altera: Ut amici sponsi, quorum opera hic in sponsa sibi concilianda usus est, & quorum praesentia nuptias suas ornari uult, non sibi ipsi sponsam uendicant, & illam adeo non inuidet sponso, ut potius gaudio gaudeant, si sponsum cum illa colloqui, & proinde suam operam non infrugiferam fuisse uident: Ita ego, cuius ministerio, seu amici singularis, Christus uti dignatus est, ut instar nymphagogi seu paranymphii aut pronubi sponsam ipsi adducerem, illam non mihi uendicare, aut illius amorem in me transferre debeo: sed totus in hoc esse, ut sponso iungatur, illum audiat, illum unum diligat, & illi soli obtemperet. Quod cum uideam fieri, & ex uobis intelligam quam plurimos ad illum colligi, eam mihi non dolet illud, ut potius in hoc gaudium meum compleatur, cum me mei ministerij finem attingisse uideam, quem uicè querebam. Hic uerborum Ioannis sensus est, quibus praeposteram discipulorum emulationem resinguit, & ipsos quoque ad Christum amplectendum excitat.

At nobis similitudo haec attentius consideranda est, quae ut omnem salutis nostrae rationem & ecclesiae constitutionem continet: ita non alia in scripturis frequentior occurrit. Haec enim David Psal. 45. in describendis Christi & ecclesiae mysterijs ueritur. Eandem sapientissimus mortalium Solomon in eodem argumento adhibet, ut illius Canticum excellentissimum testatur. Faciunt eiusdem men-

zationem propheta ferè omnes: & in Euangelio ipse Christus modò se sponsum, discipulos autem suos nuptiarum filios dicit, modò regnum cælorum nuptijs simile esse docet. Imò in gloria patris agens, eum Ioanni discipulo dilecto ecclesie fata reuelare vellet, hanc quidem sponsæ, suam verò cum illa coniunctione nuptijs confert. Est ergo vtilissima huius parabola consideratio, & eadem pijs incunctissima esse debet. Quia tamen in infinitum excresceret oratio, si omnia quæ hic dici possent exponeremus. præcipua modo capita perstringemus, quæ ad præsentis negotij illustrationem faciunt.

Salus omnis cõ
sistit in coniun-
ctione cõ Deo.

Primò docet ista parabola, in quo nam vniuersa nostra salutis ratio consistat. Nimirum in coniunctione, quæ nobis cum Deo intercedit. Quia enim hic solus bonus & vnicus omnis boni fons est, beati & felices esse non poterimus, nisi cum illo coniungamur. Testimonium huius rei diuersa hominum studia exhibent, qui cum omnes ad hunc scopum contendant, vt ipsi bene sit, quiescere tamen non possunt, nisi cum Deum apprehenderunt, & hunc sibi reconciliatum aut amicum esse sentiunt. Porro conciliatione istâ seu coniunctione spiritus sanctus per nuptias sue coniugium adumbrat, eò quòd similitudo hæc immensum Dei amorem, & simul nostræ salutis atq; beatitudinis certitudinẽ exprimit. Vt enim puellam nihil antea ad se pertinentem aliquis sibi desponsat: Ita Deus nos sibi in filio suo desponsauit, cum nulla inter illum & nos esset coniunctio, imò cum propter naturæ nostræ corruptionem & fædam atque horribilem peccatorum omnium generis speciem digni essemus, qui in tenebris exteriores & æternos inferorũ cruciatus abiceremur. Incredibilem ergo esse oportet amorem Dei, quo nos complexus est, neq; illius alia causa quàm mera gratia & misericordia potest indicari. Facit ad huius partis illustratione quod Ezechiel, 16. habetur, quia quod illic de Iudæorũ gento dicitur, similiter de vnoquoq; hominum dici potest. Deinde vt in desponsatione arrha dari solet, quæ matrimonij contracti pignus sit perpetuum: Ita Deus salutis pignora dat externa & interna: externa quidem, Verbum & Sacramenta: intus verò spiritum suum animis nostris infert, qui de eius bonitate & gratia testimonium ferat, nosq; de salute certos faciat, quo nomine Paulus illum salutis arrhabonem vocauit. Præterea vt coniugij lex est omnia habere communia, & vnicuius studio atque voluntate omnem fortunam ferre ac perpeti: Ita Dei filius nobis omnia secum communia esse voluit. Nam ipse quidem nostræ naturæ infirmitates, imò peccata nostræ & eorundem penas in se transfudit: nobis verò suam iustitiam, sanctitatem & obedientiam communicauit, & simul sui regni consortes atque coheredes fecit. Ad hæc vt nullum vinculum coniugio arctius est & insolubilius, eò quòd Dei autoritate contractum nãno hominum dissoluere potest: ita æterna quoque & inseparabilis est hæc coniunctio, qua nos Deus sibi in filio despondit, neque vllis hominum consilijs aut viribus dissolui potest. Quis enim Deum cogat, vt sponsam suam deserat? Vel quis hanc ex Dei complexu auellat? Num oppressio? (liber enim Pauli verbis nostræ salutis certitudinem explicare) num angustia? num fames? num periculum? num gladius? Ac in omnibus his plus quàm victores sumus per eum qui dilexit nos. Est ergo salus nostra certa & infallibilis, perfecta item & omnibus numeris absoluta: quod in ista nuptiarum parabola consideratu vtilissimum & cumprimis iucundum est.

Oeconomia
ecclesie.

Secundo de ecclesie æconomia vel administratione hic admonemur. Vt enim qui alicuius nuptias ambit, amicorũ opera vitur, qui ipsius nomine causam hanc agant, & sponsam ipsi domũ adducant: Ita Deus in hoc sublimi nostræ salutis mysterio hominum selectissimorum opera & ministerio vtili seruet, non quòd hoc illi opus sit, sed vt ea quoque in re sue bonitatis diuitias declaret, & nostræ ruditati sese accommodet. Fuerunt nymphagogi & pronubi tales olim prophete, quos omnes Christo testimonium tulisse, & totos in hoc fuisse scimus, vt populum ab inani ceremoniarũ fiducia ad promissum humanæ salutis auctorem remitterent. Secutus est hos Ioannes Baptista, de quo multis dicere non est opus, cum ipse pro se loquatur. Successerunt huic Apostoli, qui vt omnes vni Christo adduxerunt: ita zelo ardenti flagrarunt pro conseruanda ecclesie castitate. Omnium enim idem affectus fuit, quem Paulus de semetipso prodidit ad Corinthios scribens: Zelotypus sum erga vos Dei zelotypia. Præparauit enim vos vni viro, vt virginem puram sifterem Christo, &c. Hodie autem idem officium sustinent omnes ecclesie ministri, qui hisce Ioannis verbis pulchre admonentur, quales ipsos esse, quid sit eos facere cõueniat. Primò amicos sponsi se dici meminerint. Quæ dignitas vt omnes huius seculi homines longè superat: ita illos excitare debet, vt Christi amore ardeant, & de eius gloria solliciti sint.

2. Corinth. 11.

neg. sub eius pretextu sua querant, quod interdū male fidei paranympsi facere consueverunt. Ideo cum Petrum abnegatorem officio suo restituere vellet Christus, tercio prius illum interrogabat: Si non fili Iona, amas me? Et amorem hunc non ficto animo profitenti dicebat: Pasce oves meas. Et sane cum tā multa sint, quae in ecclesia ministerio agentes abstertere, vel ab officio reuocare possunt, nemo ad illud fuerit idoneus, nisi qui sincero Christi amore totus ardeat. Deinde sententia audiant sponsum, istis obedientiae studium denotatur, & ut fidelium famulorum instar ad omne obsequium semper parati sint. Ita Christus monet, cum in euangelio ait: Sint lumbi vestri accincti & lucerne accense, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, &c. Luc. 12. Modum autem huius obedientiae exprimit, dum vocem sponsi audire iubet. Nec enim probi paranympsi est quicquam ex suo cerebro sponso dicere, sed ea referre debet bona fide, quae à sponso in mādatis accepit. Hic etenim cum primis locū habet illud Davidis: Audiam quid loquatur Dominus. Psal. 85. Et alibi propheta verbum ex ore Domini accipere iubentur. Apostolis item Christus dicebat: Docete eos seruare quae ego vobis tradidi. His accedat fides, ut vni atq; soli Christo sponsum adducant, & in hoc vno gaudeant, si hanc Christo coniunctam esse & hunc illi amicē colloqui videant. Hae Ioannis studia fuerunt, & his addictos esse cōuenit omnes, qui in ecclesia ministerio versantur. Patet verò ex his quales censendi sint, qui sua omnia ratione omnino diuersa instituant, dum Christi sponsum sibi vendicant, & illius vicarios se esse gloriantur: vel sectas inuehant, & in partes distrahunt ecclesiae corpus, quod vni Christo seruire debebat. Faciunt hoc Romani Pontifices, & qui in horū verba iurauerunt Monachi atq; doctores papistici. Adde his omnes eos, quibus nihil perinde dolet, quam si Christum ecclesiae suae familiariter colloqui, & euangelii liberè praedicari audiunt. Deplorat sui seculi conditionem D. Augustinus, quod per Donatistas ecclesia scinderetur. At quid ille dicitur esset, si hodie infinitas sectas regnare, & euangelium illis etiam exosum videret, qui ecclesiae primi antistites videri volunt?

Postremo ipsam quoque ecclesiam sui officij hae parabola admonet. Huius est vnum sponsum atque Officium eorum dire, nec vllis alijs locū dare, quam qui ipsam huic adducere student: Vult enim Christus sibi castā ecclesiam virginem exhiberi, ut paulo ante ex Apostolo didicimus. Mentis verò virginem requirit, quae (ut Augustini definitione vsus) est integra fides, solida spes, sincera charitas. Atqui fides integra est, quae in vnum Christum recumbit: spes autem solida, quae nec impostorum blanditijs expugnata fluctuat, nec periculorum metu euersa concidit, charitas verò sincera, quae vni Christum complexa, neminem in thori illius spiritualis consortiū admittit, in quo soli Christo animae nostrae sunt desponsatae. His continentur quaecūq; scriptura alibi suscitimè tractat, & quibus omnis supersticio, idololatria, & simul impurum carnis atq; mundi studiū excluduntur. Et huc pertinet quod in Psal. 45. sponsa dicitur: Audi filia & vide, & inclina aurem tuā: obliuiscere populi tui, & domus patris tui, &c. Et haec quidem in parabolam de sponso & sponsa per digressionem dicta sint.

Redeamus ad Ioannem, qui in instituto pergens addit: Illum oportet crescere, me verò minui. Christus creatus, Ioannes scilicet, Ioannes minuitur. Quod non ita intelligi debet, quasi aut Christus per se crescat, aut Ioannis auctoritas in ecclesia debeat intercideri. Quia enim Christus Deus est verus, in eo neq; incrementum neq; defectus locum habet. Debet etiam Ioannis auctoritas inuoluta manere, ut & aliorum, per quos salutis doctrinam Deus mundo reuelauit. Dicuntur ergo haec per comparationem pro ratione officij, quod vterq; sustinuit. Ioannes enim (ut sepe diximus) missus erat, ut praconis instar Christo viā prepararet, Christus autem promissus ille redemptor est, qui nobis iustitiam sempiternā & vitam restituere debuit. Magna itaq; fuit Ioannis dignitas apud pios, & in illius doctrinam omnes intenti fuerunt, quando Messiam praeforibus adesse audiebant. Cum verò ille iam adesset, & ab Ioanne digito monstrarentur, sequum erat, ut omnes hoc relicto ad Christum confluerent, & illius nomen ad Christi aduentū oblitiscerent, sicuti ad exortum Solis stellarum splendor paulatim evanescit, quae similitudine in huius dicti explicatione Cyrillus & Theophylactus pulchrè vsi sunt. Sensus ergo est: Ego luciferi instar Solem hunc iustitiae praecessi, aduentum illius indicavi, homines ad illum excipiendum praeparavi, adeoq; ministerium in ecclesia habui non vulgare, sed quia nunc ipse exurgit, meum quidem ministerium cessare, illius autem gloria illustrari & indices crescere debet: & ut hoc fiat necesse est, cum nec Dei gloria aliter prouehi possit, neq; hominum salus restitui. Est autem plena consolatio ista

sententia. Si enim Christum crescere, & pro illo fidos quoque Dei cultores minui oportet, quid de illis fiet, qui ipsum hostiliter oppugnant, & ita Dei consilio eterno aduersantur? In celum illi expiunt, & ipsi sibi eterne confusionis auctores erunt; cuius rei exempla multa a libi adduximus. Docet praeterea locus hic iudicare de sanctis, quorum ministerio olim Deus in ecclesia sua institutione usus est. Magna cenferi debet merito illorum auctoritas, at simul diligenter obseruandus est ministerij ipsorum finis, ipse nimirum Christus, cui illi sponsam adducere debuerunt, & cuius respectu omnes homines nobis vilescere debent. Docent hoc illi omnes unanimi consensu. Quod enim in praesenti Ioannes facit, hoc ipsum postea Petrum, Paulum, Barnabam & reliquos fecisse videmus, ut serio cauerint, ne in ipsos quis transferret honorem, qui vni Christo debetur. Turpis ergo & impius illorum error est, qui ita Diuos euehunt atque colunt, ut apud plerosque Christi auctoritas & officium intermoriatur.

Christum pro
phetais & sibi
ipsi praeseri.

His absolutis ad alteram partem Ioannes transit, qua Christum plenius describit, & quid in illo nobis datum sit, docet. Qui supernè venit (inquit) supra omnes est: qui ex terra est, terrenus est, & ex terra loquitur. Collatione facit, qua seipsum & omnia omnes prophetas atque apostolos cum Christo confert, & hunc supra omnes eminere ostendit. Potest argumentum ita formari: Qui supernè, id est à caelis originem ducit, omnes excellit, qui verò è terra enascuntur, terreni sunt. Atqui Christus è caelis venit, ut potest verus & aeternus Dei filius, nos omnes è terra atque terreni sumus. Ergo quantum celi à terra distant, tanta est inter Christum & me, adeoque omnes verbi ministros differentia. At praestat singula huius comparationis membra inspicere. In priori, Christo tribuit quod supernè veniat, & supra omnes sit. Est hoc intelligendum de origine caelesti, quod nimirum ab aeterno ex patre genitus, tandem praesentis temporis secundum veteres promissiones ex virgine hominè assumptus, venit igitur supernè Christus quoad diuinitatem, quia patri coaeternus & consubstantialis est. Sed & quoad humanam naturam supernè venisse dici potest, non quod carnem (ut olim haeretici docuerunt) è caelo attulerit, sed quod praeter communem morem homo natus sit, spiritus sancti operatione, qui Mariam obumbravit & fecundam fecit. Et quia talis est, omnibus superiorem esse testatur Ioannes, tam angelis quam hominibus. Est hoc euidentis deitatis Christi argumentum, quod ut consolationi seruit in omni tentationum genere: ita officij quoque, admonet, ut illum agnoscamus dominum nostrum, & ei totis animis subiiciamur. In altero membro de seipso, adeoque vniuerso hominum genere loquens ait: Qui ex terra est, terrenus est, & ex terra, id est, terrena loquitur. Comprehendit haec veram & perfectam totius humanae naturae descriptionem. Primum enim originem nobis ex terra esse docet, quod nos etiam redituros esse Deus olim pronunciauit. Deinde originem conditionem respondere ostendit, quando terrenos nos esse ait. Mortales ergo sumus, neque hic nobis aliquid stabile vel perpetuum polliceri possumus. Tertio studia nostra describens, ex terra nos loqui dicit. Quia enim sermo animi index est, & in animo intellectus atque voluntas resident, sermonis nomine hominis facta, consilia & instituta omnia complectitur. Haec ergo nostra est nobilitas, & tam egregiam ex nobis ipsis habemus de nobis gloriam occationem. Agnouerunt hanc suam miseriam omnes sancti, & ideo seipsos puluerem, cinerem, vermes denique dixerunt. Diaboli verò ingenium referunt, qui altiora & maiora sibi ipsis tribuunt.

An prophetae
& apostoli ex
terra locuti
sint?

At obijciat hic aliquis: Qui ex terra est, terrenus est, & ex terra loquitur: Prophetae, Ioannes & Apostoli ex terra & terreni fuerunt. Ergo ex terra locuti sunt: & per consequens, illorum doctrina pro caelesti & diuina haberi non debet. At nos consequentiam istam negamus. Ioannes enim hoc loco homines, quales suapte natura sunt, cum Christo confert, non quales fiunt ex regeneratione aut illuminatione spiritus sancti. Et bene quidem dicitur terrena loqui is, qui ex suo cerebro loquitur, neque is alia quam terrena loqui potest. At qui ex verbi semine per spiritus operationem denuo genitus est, is nec terrenus est amplius, neque terrena cenferi debent, quae à Deo illuminatus & ex spiritus suggestionem profert. Tales verò fuisse prophetas & apostolos, scriptura testatur, quae illorum vocationem & missionem diligenter describit. Et prophetae quidem nunquam non Dominum exercituum allegant, & visiones à Deo sibi exhibitas diligenter describunt. De Apostolis verò Christus pronunciat: Non vos estis loquentes, sed spiritus patris, qui in vobis est. Itaque: Qui vos audit, me audit, &c. Illos ergo non ut homines, sed ut Dei legatos audiamus, & illorum sermonem ut Dei verbum amplectamur: quod Thessalonicenses fecisse Paulus testatur. 1. Thess. 2. Porro quoad praesentis loci tractationem,

Stationem, nostrum fuerit Dei bonitatem agnoscere, qui filium nobis doctorem & salutis aut horem dignatus est dare. Hunc ergo audiamus, & cum idem sponsum animarum sit vnicus, illi coniungamur fide sincera & charitate non ficta, vt in eodem vica promissae consortes efficiamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

H O M I L I A XXIII.

Qui è caelo uenit, supra omnes est: & quod uidit & auduit, hoc testatur: & testimonium eius nemo recipit. Qui recipit eius testimonium, is obsequatur quod Deus sit uerax. Què enim misit Deus, is uerba Dei loquitur: non enim ex mensura dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Qui credit in filium, habet uitam aeternam: qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum.

Quemadmodum Ioannes Baptista in prima sua responsionis parte discipulis suis diligenter exposuit quis nam ipse sit, & quae sit ministerij ipsius ratio: ita non minori diligentia, & quidem uerbis pluribus in altera parte de Christo testimonium perhibet, quo huic omnem Messiae gloriam soli tribuit, & in illo uero quare docet, quaecumque nobis ad salutem sunt necessaria. Finis uero & scopus omnium est, vt discipuli excussa emulatione, qua suam Christo gloriam inuidebant, illum agnoscant Messiam esse, & ei per fidem ueram subiciantur. Et hic nobis quoque, istorum usus esse debet, ne dum sanctis aut Diuis iam in caelo agentibus suum honorè nimis contentiosè asserimus, ipsum Christum sua gloria spoliemus, & simul in Diuis iniurij simus, dum ipsorum praetextu ad extenuandam Christi & meriti ipsius gloriam abutimur. Prodes itaque diligenter annotare, quae hic de Christo dicuntur. Primum autem hunc ecclesiae sponsum esse, & proinde ipsi vni ecclesiam deberi docuit. Deinde Deum esse ostendit, qui merito supra omnes eminere debeat, cum origo eius caelestis, & idem Deo patri coaeternus atque consubstantialis sit. Et si uero hoc unum sufficere possit ad demonstrandum, quod ipsi soli omnes adduci debeant, subiicit tamen his duo, quibus doctrinam & omnipotentiam eiusdem commendat. Inde modum exponit, quo illum apprehendere & merito illius ad salutem frui possimus.

Primo doctorem à Deo nobis datum esse ait, fortassis ad ueterem Moysi promissionem respiciens: Propheeta suscitabit uobis Dominus Deus uester de fratribus uestris sicut me, illum audite. Quam promissionem de Christo intelligi debere, Petri & Stephani auctoritate admonemur. Acto. 3. & 7. Idem ergo Ioannes quoque inueniens, simul doctrinam Christi à ueritate & infallibili certitudine commendat. Dicit enim: Qui è caelo uenit, supra omnes est: & quod uidit & audiuit, hoc testatur. &c. Repetit quod de caelesti ipsius origine & diuina excellentia dixerat, eò quod haec ad doctrinae commendationem quam plurimum faciebat. Deinde doctrinam eius ab opinionibus incertis & hominum figmentis aperte distinguit, & ibi exprimit singularem illam praerogatiuam, qua Christus omnes doctores, quot unquam fuerunt aut futuri sunt, longè superat. Hi enim omnes ea tradiderunt, quae uel ex peculiari spiritus reuelatione, uel diligenti scripturarum collatione didicerant. At Christus quod ipse uidit & audiuit, ab ipso nimirum patre in sinu patris, illud testatur. Vt uerum autem uidentis & audiendi uerbis humano more, ut ipsi ostendat eum nihil docere, quod non ipsi probe & exactè compertum sit: non quod Christus quasi ignarus didicerit prius quae alijs traderet. Nam ut Chrysostomus ait, suapte natura nouit omnia, cum ipsissima sit Dei patris sapientia. Adhaec testandi uerbum illi tribuit, ne quis aliquod uulgare doctrinae genus imaginetur, sed ut illo certum & irrefragabile testimonium de Dei uoluntate & salutis humanae mysterijs contineri omnes intelligant. Quo loco iterum admonemur, qualis iudicari debeat Christi doctrina: Diuina nimirum & caelestis, & quod ab eo aut hore sit promulgata, qui nec ab alijs doceri, neque aliud confingere opus habuit, cum iam inde ab aeterno haec sibi abundè perspecta & comperta haberet. Et potest hoc unum sufficere conseruandis omnibus ijs, qui cum diuine epulone doctores ex alio mundo sibi dari petunt, aut per ludis-

Christus à Deo
doctor datus.

brium ministros verbi interrogant, an ipsi aliquando vel in caelis vel apud inferos fuerint, & coram viderint ea, de quibus cum tanta asseueratione concionentur? Nam vt nos ista viderimus, minime opus est. Vidit enim illa Christus, & quod vidit amicis suis, apostolis, communicauit: qui illud ipsum publicè docuerunt, scriptis mandauerunt, adhaec miraculis innumeris, & tandem suo etiam sanguine confirmarunt. Quod si verò alicui non sufficit aeterni filij Dei auctoritas, na ille indignus est, quo cum disputetur & cui nouos doctores Deus aliunde excitet.

Hominū incre-
dulus doctri-
ne Christi non
derogat.

Ne verò illuſorum iſtorum improbitas aliquem offendant, & ne discipuli obijcerent: Si talis est Christus, cur illum non audiunt scribae & sacerdotes? cur ab omnibus contemnitur? Per Conſuetudinem reſpondet Baptiſta: Et teſtimonium eius nemo recipit. Et his quidem verbis cum diſcipulorum ſuorum cum totius mundi contumaciam perſtringit, qui tantū aeternae veritatis teſtem contemnere non vereantur. Neminem verò dixit, pro pauciſſimis. Iam enim receperant Chriſti teſtimoniū diſcipuli aliquot: ſed adeo exiguus erat illorum numerus, vt nulli videri poſſent, ſi cum incredulorum multitudi- ne conferrentur. Et ſenſus eſt: Scio illum apud paucos fidem inuenire, ſed hoc eius auctori- tati nihil derogat. Vera enim & comperta ſunt nihilominus quae ille loquitur: ea autem eſt inſolita- litas mundi, vt in erroribus perire malit, quàm illum audire. Haec ergo vos mouere non debet, niſi cum illo ſimul perire libeat, &c. Itaq; idem hic dicit Baptiſta, quod paulo ante Ieſus ipſe Nicodemo dixit: Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur: ſed teſtimoniū noſtrum non recipitis. Vbi obſeruabimus, quae ſemper doctri- nae huius ſors fuerit, & quod ea hodie nemo, cui noua & inſolita of- fendi debeat. Quia enim (vt alibi diximus) mūdus tenebris & ab ſe conſtitis fabulis delectatur, ve- ritatis doctri- nam vel ſcurriliter contemnit, vel etiam hoſtiliter perſequitur. Sic olim factum, cum propheta illū proponeret. Et quàm paucos diſcipulos in fide ſynceros & conſtantes Chriſtus habue- rit, cum ſimul miracula ederet innumera, euangelista ſatis teſtantur. De Apoſtoliſ quid atinet di- cere, qui vbiq; locorum ex Iudeis & gentibus aduerſarios repererunt, qui ſe ipſis opponerent: Quid ergo miramur hodie eadem fieri? Vel num noſtri ſaeculi doctorem auctoritatem coram hoc mundo maiorem quàm ipſius Chriſti eſſe volumus? Poſitum eſt ille (vt Simeon dicebat) in ſignum, cui con- trahatur. Beatus autem eſt, qui in illo non offenditur. Luc. 2. Matth. 11.

Qui Chriſto
credunt, Deo
ueritatis teſti-
monium deſe-
runt.

Facit autem plurimum ad fidei confirmationē quod ſequitur. Pergit enim Ioannes, & offendit quàm eximium Deo cultum exhibeant, quicumq; Chriſti doctri- nae fidem adhibent. Qui recipit teſti- monium eius (inquit) is obſignauit quod Deus verax ſit. Teſtimonium Chriſti recipere, eſt is cre- dere ex animo, quae ille de patris conſilio & ſalutis noſtrae ratione docuit. Vel vt vno verbo dicam, eſt credere euangelio, quod frequenter teſtimonium Ieſu Chriſti dicitur, non tam quod de illo nos edo- cet, quàm quod illum habet auctorem, qui & olim per prophetas illud promiſit, & poſtea ipſe idem praedicauit, poſtremo huius praedicationes in totū orbem miſit Apoſtoliſ: & hodie adhuc ſuo ſpiritu mi- niſtros donat, qui ſuae eccleſiae illud annuncient. Qui hoc fide vera amplectitur (inquit Ioannes) is ob- ſignat, quod Deus verax ſit. Id eſt, ſuo aſſenſu Dei promiſſiones confirmat, & quaſi ſubſcriptione ſua Deo veritatis teſtimonium perhibet. Eſt hic cultus Deo gratiſſimus, qui omnes ritus externos & officia reliqua omnia longè ſuperat, & ſine quo nihil prodeſt quicquid in Dei honorem vel dici- mus vel facimus. Vt enim fruſtra coram aliquo caput aperis, genua & poplitem ſtectis, de via illi cedis, aut eundem titulis honorificis cōpellas: ſi ille interea ſe abſ te pro homine vano haberi & men- daci publicè inſimulari ſciat: Ita nequicquam cultus externos & quacūq; excogitari poſſunt offi- cia Deo impendimus, ſi eidem veritatis laudem negemus, & illius promiſſiones atq; decreta pro ſig- namentis inanibus ducamus. Atqui iſtud impudentiſſimè faciunt, qui cum Dei cultores haberi ve- lint, interim euangelij doctri- nam in dubium vocant, quae vnum Chriſtum ſalutis auctorem eſſe, & vno illius merito nos iuſtificari atq; ſeruari docet. Quia enim cum hac cōſentiūte veteres Dei promiſ- ſiones, ſederis cum Abrahamo facti capita praecipua, & tpi in Lege propoſiti & olim per prophetas vulgata Dei oracula, adhaec ſolemnis illa patris vox, quàm bis de caelo detonuuit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt: Haec (inquam) quia cum euangelio conſentiunt, & in illo ple- nius illuſtrantur, certè Deum ipſum mendacij arguunt, quicumq; illud malicioſe aſpernantur. E con- tra ſuo aſſenſu illius promiſſiones quaſi obſignant, & veritatis laudem ei deferunt, qui euangelio fi- dem adhibent. Et ijdem viciffim per ſpiritum Chriſti intra conſcientias ſuas confirmantur, deſ- ſalute

salute sua certiores fiunt. Facit ad huius loci illustrationem quod euangelista noster in sua Canonica Cap. 5. sic scribit: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Nam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit Deo, mendacem fecit eum: quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo. Est autem hoc testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita in filio eius est, &c. Et haec quidem ipsa in presenti suis discipulis Baptista ingeminat, ut illos ad fidem in Christum excitet, ne hanc illi negando peccent in partem contrariam. Debet autem eorundem consideratio nos quoque excitare, ut posthabito mundi exemplo, tam dignitatis quam salutis nostrae rationem habeamus, & Christum Iesum vera fide amplexi, veritatem Dei nostra subscriptione confirmemus, & ita vicissim nostra quoque salutis intra nostram conscientiam certi reddamur.

At quia in his caro nostra rarissima est, & multa nos auocare possunt, ne diuersam à reliquis fidei & salutis viam ingrediamur, rationes subiicit Ioannes, quibus cunctabundos extimulet. Prima est: Quem enim misit Deus (inquit) in verba Dei loquitur. Sensus est: Ideo dixi, Deo veritatis testimonium perhiberi, si Christo credatur: quia ille à Deo missus est, & fidei legati instar nihil loquitur, quam quod in mandatis accepit. Ut ergo regem honore afficit, qui ipsius legato fidem habet: ita Deo honorem deferat, quisquis filio, quem ille misit crediderit. Et huc referri debet, quod ipse postea dicit: Doctrina mea non est mea, sed patris qui misit me. Ioan. 7. At ne quis missionis vocabulo audito, Christum patre inferiorem esse, nec aliquid à Mose & prophetis differre putaret, qui & ipsi à Deo missi fuerunt, secundo loco addit Ioannes: Non enim ex mensura dat Deus spiritum. Quae verba de Christo intelligi debent, & Ioannis institutum, & totus orationis contextus probant. Sic ergo vult dicere: Fuerunt quidem olim Moses & prophetae missi à Deo, qui illos sui quoque spiritus donis instruxit: neque ego meam missionem diffiteri debeo. Sed longe alia est omnium nostrum ratio, quam Christi. Homini enim spiritum suum Deus ex mensura distribuit, id est, pro ut ipse unumquemque capacem eius fecit, & praesentis vel loci vel temporis ratio exigat. Itaque huic quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij verò sermo cognitionis per eundem spiritum: alij rursum fides per eundem spiritum, alij dona sanationum per eundem spiritum: alij facultates virtutum, alij prophetia, alij discretionum spirituum: alij genera linguarum, &c. Et consultò sic dona sua distribuit Deus, ut ferè in plebis, alijs deficient, qui in vno & altero prae alijs excellent. Sic enim & concordia inter homines foetur, dum alij aliorum opera indigent, & nihilominus sub Dei manu humiliantur, qui pluribus sunt ornati, quando sibi adhuc multa deesse sentiunt. Christo autem non ad hunc modum spiritus datus est, sed in illum abundantissimè effusus, adeò ut de eius plenitudine omnes acceperimus. Et fore asis ad. Psal. 45. respexit Ioannes, ubi Christus oleo laticiae vinctus esse dicitur prae omnibus confortibus suis. Quò & illud Isaia Cap. 11. pertinet: Prodebit furculus de trunco Iesse, & flos de radicibus eius nasceretur, super quo spiritus Domini requiescet, spiritus sapientiae & intelligentiae, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiae & timoris Domini, &c. Ista autem ideo hic producit Ioannes, ut ostendat illum meritò omnibus praeferrì, & prae alijs omnibus audiri debere. Et quia haec in doctrina eius commendationem dicta sunt, non minus nobis eadem dici putemus, & proinde in vnum Christum inueniri, neminem audiamus, qui nos ab eo auocare voluerit. Consolationem autem habet dulcissimam, quòd in Christo omnium eorum plenitudo inuenitur, quae vel nobis vel alijs deesse videmus. Accedamus ergo ad fontem hunc liberalissimum, & nihil nobis desieri patietur.

Tertio diuinam Christi maiestatem Ioannes allegat & eius omnipotentiam, quae deitatis ipsius argumentum est euidentissimum, & quo simul probatur, ipsum Messiam esse, cui regnum aeternum Deus promiserit, cui omnes gentes subijci oporteat. Vide Psal. 2. 45. 72. &c. Ita autem de hoc loquitur, ut causam simul indicet. Pater (inquit) diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Quae verba non ita intelligi debent, ut nos Deo exosos putemus, eo quòd non ipsi quoque omnium potestatem accepimus. Nam de eo amore loquitur, quo (ut Augustinus ait) pater Christum diligit ut filium, & quidem ut vnicum, & non ut adoptatum, & qui amor ex illo & propter illum in nos quoque redundat, iuxta illud Pauli: Gratos nos sibi fecit in dilecto. Ephes. 1. Cui vox quoque, illa patris consentit: Hic est filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Quia ergo is est Christus, omnia dedit pater in manum eius, ubi etiam non putabimus, Christum patre aliquando minorem fuisse, eò quòd ab illo

Rationibus exci-
tatur ad Christi-
um audiendum.

1. Cor. 10.

Christus res
omnipotens.

potestatem accepisse dicitur. Quoad enim diuinam naturam, ab aeterno ex patre genitus, potestatem quoque, cum illo eandem ab aeterno habuit, cuius initium nullum indicari potest. Quoad vero humanitatem, qua sese humiliavit & patri obediens factus est usque ad mortem crucis, gloria & decore (ut in Psalmo 8. scribitur) addo etiam potestate illum pater coronauit. Et ad hunc modum hoc ipse Christus infra cap. 17. exponit, dicens: Nunc glorifica me tu pater apud te metipsum ea gloria, quam habui apud te priusquam hic mundus existeret. Ut ergo secundum humanam naturam orat Christus, qui secundum deitatem omnibus imperat, ita secundum humanitatem a patre gloriam & potestatem sibi dari postulat, quam ab aeterno habuit, quoad aeternus est Dei filius. Recte itaque, Cyrillus haec explicat, dicens: Non ita dat pater, ut initium potestatis filio praebeat: sed ita ut cum carne filius ad potestatem, quam absque carne (id est priusquam carnem assumpsisset) semper naturam aliter habet, recurrat. In presenti autem Ioannes hanc Christi potestatem legitimam simul & plenam atque perfectam esse docet, quando illi a patre datam, & quidem in manu datam esse ait, ut nimirum ea pro suo arbitrio utatur. Meminit autem huius in presenti, ut ostendat non debere leuiculum censeris scelus, si quis Christi testimonium contemnat. Quia enim dilectus ille Dei filius est, eius contemptum pater non impunitum dimittet. Rursum, quia ipsi omnis potestas data est, non alienis praesidijs opus habet, sed ipse de sui testimonij contemptoribus, quandoque, vult, penas sumere poterit. Frequenter autem scribitur a maiestatis & potestatis Christi mentionem facit, ut in Psalms paulo ante citatis, & in Isaia non vno loco est videre. Ad cuius explanationem pertinent, quae ipse Matth. vlt. dicit: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Et ista Pauli Phil. 2. Christus Iesus cum esset in forma Dei non rapinam duxit parem esse cum Deo: sed ipse se inaniuit forma serui sumpta, similis hominibus factus, habitu compertus ut homo, humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter ipsum etiam Deus in summam extulit sublimitatem, ac donauit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu flectatur omne genu caelestium ac terrestrium & subterraneorum, &c. Et haec quidem Iesu Christi, seruatoris & regis nostri potentiam comendant, cuius vis & maiestas in eo maxima elucet, quod non suis modo imperat, qui voluntarium ipsi obsequium praestant, verum etiam hostibus dominatur, inuisis licet & nequicquam reluctantibus. Coram illo enim contremiscunt daemones, ut in euangelica historia non vno loco apparet: & idem ferro sepe pro cominuit eos, qui verbo eius sese nolunt submittere. Quod ut pios plurimum consolatur, ita nos simul officij admonet, ut nimirum illi per fidei obedientiam subiiciamur, & apud eum illum omnia queramus, quae ad salutem nobis necessaria sunt. In eius enim manu sunt peccatorum remissio, iustitia, vita, resurrectio, regnum caelorum: & quae ad hanc vitam mortalem spectant, Valetudo integra, victus, amicitia, opes, honores, amicitiae, victoria, aduersarum & pericula, persecutiones, inopia, summes & quaecumque sunt alia huius generis. Quis ergo non stultos & miseros dixerit, qui bona quidem alibi quarunt laboriose, aduersis autem sese absterrent patiuntur, ut hunc omnium boni fontem & fonsissimum protectorem deserant, & illum audire dedignantur?

Fide Christus apprehenditur.

Ceterum finem & scopum omnium istorum Ioannes infert, & simul modum vel rationem indicat, qua Christo ad salutem frui possumus. Nam obijciat aliquis: Esto, sit talis Christus, & haec omnia in se contineat: quid autem ista ad me? Respondet ergo, & simul omnes ad hunc fide amplectendum excitat, dum & premium pollicetur credentibus, & penas diras incredulis aut inobedientibus denunciat. Dicit enim: Qui credit in filium, habet vitam aeternam: Qui vero non credit filio, non videbit vitam, &c. Quasi diceret, Quia talis est Christus, fieri non potest quin vitam & felicitatem consequatur, qui quis illum fide apprehenderit: a vita autem exclusus & omnibus modis miser sit, qui se illi incredulum & inobedientem praebet. Sunt ergo huius Conclusionis membra duo, Primum ad credentes pertinet, quibus vitam aeternam pollicetur. Ratio huius dicti est, quod sola fide Christus apprehenditur, ut alibi prolixè demonstrauimus. Hic vero obseruabis Ioannem de credente dicere, Habet vitam aeternam, non Habebit. Quia enim fides Christum sibi praesentem apprehendit, simul etiam in eo percipit quaecumque, nobis in illo exhibentur. Vitam ergo iam nunc habent credentes, etsi quoad corpus mortales sint. Quia enim mortem Christus deuicit, haec iam illis non interitus, sed ex hoc mundo transitus ad vitam est: qua de re ipse Cap. 5. praeclearè disserit: Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam aeternam: & in iudicium non veniet.

veniet, sed transiit (id est certissime transibit) à morte in vitam. Quò & illud pertinet: Qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Ioan. 8. Alterum membrum est: Qui nõ credit filio, non videbit vitam, id est, ne minimo quidem vitæ & salutis gustu fruatur. Quomodo enim vitam videat, qui ipse volens ab ea discedit, dum eius authorẽ vnicum aspernatur? At quia hoc non multum mouet impios, qui hoc argumento se potissimum consolantur, quòd mortem vltimã lineam rerum esse, neq; post hanc aliquid sperandum esse dicunt, alterum adhuc addit: Sed ira Dei manet super eum. Esi ergo vitam beatam non assequantur Christi contemptores, ijdem tamen non æterna morte sepeliuntur, quæ omnem boni & mali sensum auferat, sed ipsi quoq; ad iudicium resurgunt, vt Dei iram sentiant, quam sua impietate prouocarunt. Nec temere dicit: Ira Dei manet, nõ veniet. Natura enim filij iræ nascimur, & sumus. Ab hac autem solus Christus liberat. Eadem ergo maneat super omnes eos oportet, qui hunc amplecti nolunt. Simul ergo & iustum Dei iudicium, quo improbi gratiæ exhibitæ contemptores damnantur, & nunquam finiendos inferorum cruciatibus Ioannes hoc membro cõprehendit. Cõsulantur autẽ his verbis omnes alia sectæ, quæ extra Christum salutem monstrant. Si enim ira Dei super omnes manet, qui illi non credunt, æternum pereant oportet Iudei omnes, Turcæ omnes, hypocritæ omnes, quot quot in suo illo Christi contemptu in finem vsque perseverant. Nec mihi aliquis obijciat, multos ex illis vitæ & morum innocentia excellere, quos eadem sententia damnare durum sit. Quales quales enim sunt homines, ex semetipsis filij iræ sunt, à qua non vlla alia ratione, quàm fide in Christum liberamur. Et cum opera Legis à Deo tradita neminem iustificare & seruare possint, quanto minus hoc ijs tribui debet, quæ ex suo placito homines faciunt? Obseruemus ergo diligenter scopum Ioannis, ad quem ille totum hoc Iesu Christi præconium dirigit. Esi is vnicus sponsus ecclesiæ, de celo venit & supra omnes eminet, à Deo missus Dei verba loquitur, plenitudine spiritus præ alijs donatus est, filius deniq; Dei est dilectus, qui omnem potestatem habet in celo & in terra. Huic ergo coniungamur in fide sincera, hunc religiosè obseruemus & colamus, hunc audiamus, ab hoc petamus omnia, & eidem subijciamur per fidei obedientiam, credamus denique in illius nomen, & vitam in illo æternam habebimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT IIII.

HOMILIA XXV.

VT ergo cognouit Dominus audisse pharisæos, quòd ipse plures discipulos faceret & baptizaret, quàm Ioannes. (Quantum Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius.) Reliquit Iudæam, & abiit rursus in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam, Venit ergo in urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere ita sedit ad fontem: hora enim erat quasi sexta.

OMNES quidem ad se vocat Christus, at pios quoq; & electos, quò minus ad illum accedant, interdum peccatorum & propriæ indignitatis conscientia absterret. Huic igitur malo remedium præsens adhiberi oportuit, quòd reipsa facit, dum absq; personarum respectu quosuis ad se venientes recipit. Pertinet eò Nicodemi historia, quem ex hostium grege noctu mentem humanissimè instruit. At quia dignitati illius aliquid dedisse videri poterat, sequuntur hoc Cap. duo alia exempla, quæ omnem diffidentia scrupulum ex animis nostris possunt eximere: alterum Samaritanæ mulieris, quam, etsi à reipublica Israelis aliena, & insuper prostituti pudoris esset, tamen non minori studio & humanitate docuit, & eiusdem ministerio in multis alijs conuertendis est vsus: alterum aulici cuiusdam ex Herodis familia, cuius filium iam morti vicinum vitæ restituit, quàmuis ille fidei suæ infirmitatem indicijs aliquot eidentissimis declararet. Conti-